
PEREG
DE
616
=03
P44
R

IO. BAPTISTAE
Peregrini Bononienſis,
DE CAVSA CONTINENTE
Deq; Morbo Fiente diſceptatio.



Bononiæ, Peregrinus Bonardus,
Excudebat. 1561.

NICOLAO CAIETANO
ROMANO CARDINALI,

Franciſcus Angelus Sermonetanus
S. P. D.



VM iam indè à pueritia, Præſul ampliſſime, ſingularem tuam virtutem, & animi magnitudinem, liberalitatemq; naturæ, quibus mortalium animos mirũimmodum tibi deuincis, vno omnium ore laudibus efferri audiuerim; idq;, cumprimum ſapere cæpi, perſpectum & cognitum habuerim, ita & me illis ad tui ſtudium, ac obſeruantiam inuitaſti, vt nihil vnquam mihi fuerit in amore ardentius, quàm vt honeſta mihi eſſet occaſio, qua meum erga te gratiſſimum animum aliquo argumento patefacerem; ac me tui, tuæq; familiæ Illuſtriſſimæ (vt par eſt) æq; ac Auum meum iam, & ſuperſtitem Pa-

rentem, obseruantissimum cognosceres. Verûm nulla mihi hactenus sese obtulit, vt huiusce mei erga te animi testimonium darem, hac excepta? quam & si nec tanto viro dignam censebam, non tamen prætermittendam putaui. Cum quo tempore Bononiæ Medicinæ operam dedi, Antonio Maria Betto Mutinensi, ac Ioãne Baptista Peregrino Bononiensi præceptoribus vsus sim, viris quidem omni liberali doctrina politissimis, necnon prudẽtia, & exercitatione præditis, vsuuenit vt ambos eodem anno eam perdifficilem Quæstionem excutientes audiuerim; qua quæritur sitne apud Medicos causa, quæ continens nuncupatur, inter causas morbos parientes referenda necne: ad quam accedit num morbus fiens sit verè morbus. Qua in re cum alter alterius opinionem rationibus refelleret, quæ ab ipsis enunciabantur diligentius obseruaui, & ad verbum collegi, vt aliquando huius rei veritas mihi plana

fieret. Placuit Betto quicquid ipſe de hac re ſentiret inuulgare. At quoniam Peregrini opinio non minus probabilis, & Galeni placitis adhærere viſa eſt (eſt enim non minus grauibus ac firmis auctoritatibus, & argumentis confirmata) in eius ſententiam diſceſſi; voluiq; vt ea methodo & ordine, quo ipſe dum interpretabatur diſcipulis proferebat, in lucem prodiret; & vt meæ beneuolentiæ in ipſum veſtigia videri poſſint, cui me vt alteri parenti plurimum debere ingenuè fateor, ac vt ſtudioſis quoq; hominibus aliquid vtilitatis afferrem. Hoc igitur, digniſſime Antiſtes, munuſculum, qualecunq; ſit, tibi humano numini dicatum, ea fronte atq; animo, quo tibi oblatum, accipere non graueris, eiuſq; tenuitatem clementia tua compenſes. Quod ſi [quæ tua eſt humanitas] feceris, haud parum præſidij mihi comparaſſe exiſtimabo, cum tuis auſpicijs, tuæq; defenſionis clypeo hoc opuſculum in me

dium allatum fuerit. Nemo etenim eſt, qui neſciat ſibi in id debacchari non licere, quod tibi dicatum, ſinceroq; guſtui tuo probatum fuerit. Ego præterea ad maiora ſtudia alacrior fiam. vale, meq; in tuam fidem recipias te etiam atq; etiam rogo. Bononiæ Cal. Aprilis M. D. LXI.

IOANNIS BAPTISTÆ PERE-GRINI BONONIENSIS DE CAVSA Continente, deq; morbo fiente disceptatio, à Francisco Angelio Sermonetano collecta, & in publicũ ædita.



NTER omnes quæstiones, quæ in arte medica disputari solent, nulla propemodum per scholas medicorũ ita vagatur, veluti quæstio de causa Continente, An hæc inter morborum causas connumerari debeat: quam licet multi præclarißimi viri & in arte medica benemeriti eleganter & non indoctè pertractauerint, vt superfluũ quodammodo videatur de ea quid amplius enunciare velle; non inutile tamen esse censui, propter eos qui Galeni opinionem & veritatem prosequuntur, nonnulla in medium producere, vt studiosi aptè videre poßint, quantum qui aliter sentiunt, à veritate deuient.

Difficultas itaq; proponitur, An inter morbificas causas, ea quæ Contentiua nominatur, connume

randa sit: In qua, vt quid pro veritate sentiam appareat, tria faciam. Primùm quidem, instituto Galeni monitus, significata terminorum explicabo, ne eis spretis incerta sit & confusa doctrina rei, de qua debet fieri sermo, & eò potissimum quòd huiusce propositæ difficultatis decisio non parum ex terminorum significatione dependere videtur. Secundò quid sentiam enarrabo cum rationibus et auctoritatibus, quæ illud astruere videbũtur. Postremò quæ in contrariũ facient adducam, & dissoluam. Vice prolegomenorum erunt quæcunq; pro explicatione terminorum, qui in prædicta difficultate continentur, enarrabuntur; nimirum quid sit causa morbifica, quid contentiua, & quid morbus. quibus declaratis, veritas quæstionis constanter apparebit. Dicamus itaq; paulò altius sermonẽ exordientes, quòd nomen causæ bifariã accipi potest; nempe vt est explicatiua rei cuius dicitur causa, vel vt est id quod necessariò ad alicuius rei constitutionem requiritur. Primò quidem modo acceptam definiuit Aristoteles, quum dixit, causam esse ipsum quare primum, siue id esse, quod ad quæsitum factum per ipsum quare respondetur; siquidem

In lib. an ars tuende s[illegible] ptineat ad gymnast. vel ad med.

Causa dupliciter accipitur.

Causa quid sit

In .i. metaph. expleto prohemio, & secũdo phys. t. 27.

vt inquit,

vt inquit, consideratio causarum sit gratia sciendi, nec scire arbitramur vnũquodq;, nisi quum primam causam cœperimus. ob id dixit causam esse quare primum: quoniam est id, quod vltimò in responsione ad quæsitum per quare aßignatur; & primum quod est in natura eorum, quæ ad rem pertinent, cuius est causa, in quo cessat resolutio causarũ facta per ipsum quare, estq; summa & propriißima causa, atq; reliquorum quæ sic sunt causæ: quã nonnulli Continentẽ nominant, & quam præcipit Aristoteles quærendam esse in singulis generibus causarum. veluti, sermonis gratia, percũctantibus propter quid Socrates febricitat? Respondemus. quoniam humores secundum naturam non difflantur. Sed quare humorum difflatio est impedita? quoniam facta est obstructio. Sed cur hæc in corpore? quoniam refrigeratum fuit corpus, vel quia multi aut craßi & viscidi humores fuerunt meatibus impacti. Sed cur tanti, vel tales humores in corpore collecti sunt? quoniam talem, vel talem rationem victus obseruauit. hæc est prima & summa causa, ad quam quum peruenerimus (quod quidem facimus per resolutionem) cessat

omnis quæstio propter quid: quoniã hæc, vt in sermone ponimus, non habet priorem causam se, sine qua eas, quæ proximæ sunt, cognoscere nequimus quòd sint proximæ & cohærentes; si quidẽ, vt Alexan. inquit, qui aliqua cognoscit, non à primis causis, sed ab ijs quæ cohærentes sunt, siue proximæ aliquibus, quorum sunt aliæ priores causæ, is non cognoscit ipsas causas, quæ proximæ sunt rei, de qua quæritur. quapropter hic non propriè dicetur scire: quoniã non sciet se habere causam proximam. Galenus etiam non aliter accepit causam, quum scriptum reliquit. Nullus in lingua græca nutritus ignorat significatum causæ. Interroga aliquem euntem ad forum, quæ causa te duxit de domo? dicet tibi: quoniam empturus aliquid in plateam venit, vel quid aliud faciendi, & quæ ibi sequuntur. Vt voluerit & ipse, causam id dici, quod ad quæsitum quare respondetur. atq; tot causarum differentias esse vna cum Aristotele, quot quæsita; & quoniam quæsita per se & necessaria ad quattuor reducũtur, nimirũ ad id quod est ex quo, à quo, quod, & cuius gratia, vt Aristoteli placet. vel secundum Galeni sentẽtiã, ad quæsitũ ex quo, à quo, per quod,

In .i. metaph.

In lib. de causis procat

Causarum differentiæ quattuor.

per quod, & cuius gratia. ob id quatuor ponuntur differẽtiæ causarum, materialis, efficiens, formalis, et finalis, ex Aristotelis sententia; vel materialis, efficiens, instrumentalis, et finalis, vt Galenus asseruit.

Sed non insimulare oportet, quòd Aristoteles subticuerit causam instrumẽtariam, veluti Galenus formalem: quoniam Gal. sub fine complexus fuit formã, sub fine quidem qui est generationis, & non rei poductæ; vel, vt inquiũt philosophi, sub fine cuius gratia, & non cui. Et Arist. sub efficiente instrumentũ comprehendit: quoniam generalis ratio efficientis est, quòd moueat; et quia instrumentum mouet, ob id efficiens nominari poterit: quia tamen non primò mouet, ideo non erit propriè efficiens, quòd Arist. descriptũ reliquit; sed erit, vt inquit Simplicius ex Alexandro, efficiens instrumentale. Neq; ij rectè, meo quidẽ iudicio, sentiunt, qui dicũt dari quædam instrumẽta, quæ nõ ad causam efficientem; sed materialẽ reducẽda sunt. veluti dispositio materiæ, vt diaphaneitas, inquiũt, quæ tanquã causa instrumẽtalis cõcurrit ad illuminationem aeris, & non quidem vt efficiẽs: quoniam corpus luminosum est, quod efficit illumina tionem

Lib. 2. de aĩa t. C. 35. & 37,

Instrumentum reduci ad causam efficientẽ

2. phys. 28.

Zimara theo. 48.

tionem: nec ut forma; quoniam aer formaliter non lucet diaphaneitate, sed lumine: nec ut finis, quia potius diaphaneitas est pp lumen, quàm ecõtra. relinquitur ergo quòd concurrat in genere causæ materialis: quod etiam ostendit definitio de lumine data ab Arist. quòd lumen est actus diaphani secundum actum. Quoniam, si Auerroi fides ad hibenda est, quemadmodum ei plurimum concredunt, qui istud asserunt, nullũ instrumentũ debet esse pars rei factæ; atquì dispositio materiæ est pars rei factæ: quoniam est qualitas inducta ĩ materia pro receptione formæ; siquidem nisi materia per debitas qualitates fuerit disposita, nũquam posset alicui formæ appropriari, neque partem esse rei factæ. non itaq; dispositio materiæ poterit uerè dici instrumẽtum, ideoq; diaphaneitas, quũ sit qualitas materiæ ipsius aeris pro receptione formæ uel illuminationis, atq; sic inexistat rei factæ, nõ erit instrumentum, sed pars. ueluti materia, hoc uel illo modo per qualitates proprias disposita, pars esse dicitur: bene tamen uerum est, quòd agens naturale in præparando materiam utitur qualitatibus tanquam instrumento; quæ, ubi eam preparaue-

2. de aïa t. C. 68.

2. de generatione aïaliu3 C. 2

Non dari instrumẽtũ materiale.

rint, ſeperantur: remanent tamen eæ, quæ faciunt pro introductione formæ, quæ non inſtrumenta materiæ dici mærentur; ſed potius effectus agentis præparantis, & etiam qualitatum, vt inſtrumenta ſunt, præparantium, productus in materia.

Sed neq; etiam aſſentiendum eſt Ioanni Argen genterio, qui veretur eorum opinionē recipere, qui inſtrumenta ſub efficiente compræhendi volunt, Tum quia, inquit, refert plurimū in medicina hæc inter ſe ſeiungere: quoniam aliter vitiatos motus corrigimus, quum illorum inſtrumenta ſunt læſa, aliter quum ab ipſa facultate corporis partes impellente labefactantur. In.1.de cauſis morb. Cap.2.

Tum etiam, quoniam calidum agere dicimus, vt concoquere, expellere, quæ non facit vt agens; ſiquidem agendi vis à temperamento, ſtructuraq; partiū reſultat; ſed quatenus corporis facultatibus ſuo influxu vt inſtrumentum ſeruit. quo modo etiam arteriæ corpus inter pulſuum cauſas, et thoracē inter ea, quæ reſpirationem mutant, ponit Galenus, quòd ſcilicet inſtrumenta ſint, quibus efficiens pulſuum, reſpirationisq; cauſa ad ſuas actiones obeundas vtitur.

Sed quamuis medici aliter vitiatos motus corrigant, quum instrumēta sunt læsa, & aliter quum facultas in causa est; non tamen propter hoc necessariò licet inferre, igitur instrumentũ nō erit efficiens: quoniam & si non sit proprijssimum efficiens, erit nihilominus efficiens, quod ab Alexan. & reliquis philosophis instrumētale nuncupatur: quod quia nō primò mouet; sed secondariò, ob id seiungitur ab eo, quod proprijssimũ efficiens existit, vt prætactũ fuit quadere licet conueniãt in ratione generali; in speciali tamen, et ex natura rei distinguuntur, quo modo etiam cōcenditur calidum esse instrumentale agens in actionibus naturalibus, et corporis constitutionē agens principale; sicut etiam vis pulsatilis propriè agitat arterias, & efficit pulsus; arteriæ verò secondariò. Ideoq; quum instrumentum poßit ad causam efficientem reduci, ueluti quæsitum per quod ad quæsitum à quo, sub quo continetur quæsitum à quo primò, & à quo secundò, nulla vrget neceßitas, vt causam instrumentariam seiungamus ab efficiente & ab alijs, & quintum causarum genus per se constituamus.

Altero modo suscepta causa describitur ab omnibus ex

bus, ex Arist. sententia, quòd est id, ad cuius esse sequitur aliud. ex qua descriptione deducuntur quatuor, quæ iam dictæ sunt, differentiæ causarum; siquidem ad esse ipsius materiæ, formæ, efficientis, atq; finis sequatur semper aliud: quoniam nisi materia subijceretur ipsi generationi, nihil fieri posset; siquidem ex nihilo nihil fiat. quemadmodum etiam si forma non esset, quæ præbet esse rei, res haud quaquam existeret, & multo minus si efficiens atq; instrumentum deficerent, aut efficientis propositum, quum in comperto sit nihil, natura vel arte sine causa producente, & rem ipsam boni alicuius gratia intendente, fieri posse. Ex quibus sequitur eos perperam sentire, qui asserunt prædictam definitionẽ causæ non esse vniuersaliter veram in omnibus: quando quidem, vt inquiunt, fallat in causa materiali; quæ quidem est causa, & tamen ad eius esse non sequitur aliud, quòd hæc non sit causa essendi: quoniam non dat; sed potius præcipit esse. Sed non aduertunt ita dicentes, quòd quælibet causa in proprio genere est causa essendi alterius: quoniam quælibet necessariò requiritur ad generationem & productionem rei,

lib. 5. metaph. t. 1. in calce.

Zimara in tabula sup. Ari. & Auer.

vt altera tantum deficiente, res nequaquam fieri poßit. ob id igitur omnes causæ erunt tales, quòd ad earum esse sequeretur aliud: quamuis non vno modo omnes concurrant ad esse rei; atq; sic definitio erit comunis omnibus contentis sub nomine causæ.

in lib. de simpl. diff. c. 1.

A quo intellectu non dissentit Galenus, quum ita deffiniuit Causam, quòd est quicquid suapte natura „ potest inducere ei quod fit aliquam suæ generationis „ partem, vt voluerit causam esse proximan & immediatam generationi eius quod fit. Cuius genera dixit esse materiam, vtilitatem, instrumentum, & vnde principium motus; quorum quodlibet nonnihil ad perfectionem eius quod fit conducere voluit. Ex quibus asseruit vtilitatem, hoc est finalem causam & vnde principium motus esse proprias & principalißimas causas, reliquas verò esse cõcausas. quod etiam placet phisicis: Quoniã, eodem authore, causa hoc nomine maximè dignatur, quoniam agit; & quia finis ac efficiens agunt, finis quidẽ in anima, & efficiens extra animam, ob id causæ dictæ fuerunt, & magis adhuc finis, quam efficiens: quòd finis à nullo dependeat tanquam à causa; sed eius na-

In lib. de. causis procat. & 6. de vsu par Cap. 13.

Them. & Simpli. in prohe. lib. phy.
in lib. de. cõst. ar. med. C. 15.

tura incau

tura incausata sit & improducta, à quo omnia alia dependent, & necessitatem assumunt; siquidem efficiens non moueatur ad agendum nisi gratia alicuius boni; & quia mouere non potest nisi instrumentum habeat & materiam, circa quam versetur, disponendo eam vt actu subijciatur illi formæ, ad quam erat in potentia, quod non est aliud, quàm extrahere formam de potētia materiæ ad actum, ob id hæc duo, materia scilicet & forma; quæ intrinsecè concurrunt ad constitutionem & perfectionem rei, atq; instrumentum quod extrinsecum est, dictæ fuerunt concausæ & non causæ. Sed omissis multis, quæ pro exacta notitia causarum essent consideranda, tanquam aliena ab eo quod nunc intendimus, ad propositū propius accedentes, de causa efficiente, de qua Medici in suis libris loqui consueuerunt, nunc habeamus sermonem: quam ab Aristotele definiri accepimus, quòd est vnde principium primum mutationis existit. Quæ definitio licet ab omnibus hactenus recepta sit, non verentur tamen nōnulli ei refregari. Quod facit Io. Argenterius inquiens, quòd si id solum est efficiens, quod est pri

2.phys.t.28

in .1. suo lib. mum principium motus, quæ mota mouent, & tamen instrumenta rectè dici nequeunt, ab efficientibus seiungere cogimur, & aliud causæ genus, quo ea continentur, construere: quoniam prædicta efficiẽtis definitio eis neqaquam competit, Vt externum frigus primum refrigerare corpus dicimus; ex frigore verò adstrictionem nasci ab hac propelli humores, qui deinceps varios pariunt morbos: quæ sanè omnia dicuntur eße illorum morborum efficientia, nec vnũ alterius instrumentum apte vocari potest. ob id non recte definitur, quòd efficiens sit vnde primũ principũi motus; sed potius definiendum est, quòd sit illud à quo aliquid fit, siue sit primum in agendo, siue à primo impulsũ. Cui rationi apparet ex his, quæ prius dicta fuere, euidens responsio; siquidem duplex dictũ sit eße efficiens vnum per se & proprium, aliud commune & generale. Efficiens per se illud est, quod primum mutationis principium existit; quoniam nõ motum mouet: cui ea descriptio conuenit, quam Aristoteles aßignauit; efficiens autẽ est mutationis principium qualitercunq; quo modo quæcunq; mota mouent, vel sint instrumenta, vel non, sub nomine efficientis

cientis comprehenduntur. Estò itaq; quòd quæ mota mouent excludantur à definitione efficientis propriè dicti: non tamen ab alterius definitione: quam omittens Arist. alteram aßignauit magis propriã, quòd uoluerit in causis propriïßimã causam intelligendam esse, ut in alijs omnibus propria secundum nomen intelligere oportet, quemadmodum Simplicius adnotauit; quòdq; uoluerit Arist. quodquæ mota mouent debeant sub efficiente comprehendi, ex eo facilè constare potest, quod ponat in causa efficiente, ut in reliquis, plures causarum modos inueniri: quorũ unus est, quòd causa prior & posterior alia alia dicatur, ut sanitatis Medicus, & artifex; siquidem sit sanitatis causa efficiens prior artifex, posterior Medicus: qui non mouet ad sanitatẽ, nisi motus ab arte. Galenus uerò aliter definiens Causam efficientẽ dixit. Id, quo tangente nos afficimur, & quo seperato affectus quiescit, causam esse apud omnes homines in confesso est. In cuius quidem definitione in hoc primo ab Arist. discrepat, quòd Arist. definierit causam remotißimam, ad quam ascendentes per resolutionẽ quum peruenerimus, cessat quæstio propter quid

sup.t.38.2.phi

1. de locis af. Cap.2.

Discrimen inter Aristot. & Gal. de causa efficiente.

ut supra

ut supra monitum fuit; Gal. verò causam proximã. Tum etiam quoniam Arist. sermo generalis est: Galeni verò spetialis de causa morbifica duntaxat. Et rursus differũt quòd Galenus velit omnes causas remotas obtinere rationem causæ sine qua non, ideoq; remotissimam causam esse causam sine qua non; Arist. verò hanc esse propriissimam causam efficientem, & reliquas esse efficientes & mouentes motas: quarum aliquas dixit esse per se, aliquas per accidẽs; per se eas esse voluit: quæ suapte natura agunt & operantur, veluti medicus & artifex respectu sanitatis, & edificator & ars respectu domus; per accidens verò vel quia secundò agunt, ut homo & animal: quorum neutrum suapte natura sanitatem, vel domum efficit; sed secundariò, ut medicus videlicet, vel edificator existunt. vel quia nullo modo agunt, nec primò, nec secundò; sed accidunt his, quæ agunt, veluti album & musicum, quæ non primò, neq; secundò sanitatem, aut domum efficiunt: sed eis accidunt quæ agunt, nimirum medico & edificatori. Gal. verò voluit has omnes contineri sub causa sine qua non: quoniam dixit hanc esse, quæ nihil cõ-

causa sine qua non.

fert ad

fert ad generationem rei; sed eas, quæ conferunt, impellit; quumq; omnes causæ remotæ nihil perfectionis tribuant rei, quæ fit. non quidem materiam, neq; formam: quoniam hæ causæ proximæ sunt, & intrinsecæ partes rei factè. neq; etiam vt efficiens, & instrumentum: quoniam hæc materiam præparant, & formam in ea inducunt; ea vero, quum sint remota, nihil circa materiam operantur; sed quia impellunt proximas causas, ob id causæ sine qua non rationem obtinebunt. veluti, sermonis gratia, putredo est proxima, & per se causa febris putridæ; sed prohibita humorum transpiratio, obstructio, & multitudo, atq; qualitas humorum sunt remotæ causæ, nihil per se conferentes ad essentiam ipsius febris, sed putredinem: quæ confert impellentes & excitantes. ideo rationem habebunt causæ sine qua non, eruntq; causæ per accidens concurrentes ad generationem febris: quia non per se primò; sed secundò concurrunt

In lib. de sympt. diff. cap. 1.

Omnes causas remotas habere rationẽ causę sine qua nõ

Sed locus difficultatis est: quoniam si, ex Galeni sententia, omnes causæ remotæ habent rationem causæ sine qua non, & hæc sit causa per accidens, vt

ipse met

ipſe met aſſeruit, & aliquæ ex remotis cauſis ſint per ſe, veluti ex Ariſt. ſententia dictum fuit, ſequetur vtiq; eaſdem eſſe cauſas per ſe & per accidens, quod abſurdum videtur.

in lib. de cau ſis procat.

Niſi eſſet quod per ſe, vt propoſito attinet, duo ſignificat, vel vt eſt idem quod ſuapte natura tale; quo modo ſolemus dicere graue deorſum per ſe ferri, & leue ſurſum: quoniam ex propria ſui natura illud deorſum fertur, & iſtud ſurſum; & medicum atq; artem medendi habentem; necnon domificatorem, & artem domificandi habentem per ſe agere: quoniam illi, vt tales ſunt, hoc eſt vt medicus & vt habens artem medendi, ex ſui natura & intrinſeca ratione ſanitatem efficiunt; iſti vero ſuapte natura domum cõſtituunt nulla alia exiſtente differentia, niſi quod vna harum cauſarum eſt remotior et generalior, quàm ſit altera, vt ars ipſo medico atq; domificatore. In qua ſignificatione Ariſt. accepit ipſum per ſe, quũ dixit aliquas cauſas eſſe per ſe, aliquas per accidens. Secũdomodo accipitur, vt eſt idẽ quod primò; & quoniam primò interdum ſignificat idem quod principaliter, interdum idem quod proximè &

ximè & immediatè, ac nullo intercedente. Hîc secundo modo accipitur, si debet cum ipso per se conuerti, vt Gal. sentire videtur, quum dixit per se idē esse quod primò: quãuis nõnulli atticè loquentiũ aliter sentiant ideòq; dicendum est omnes causas remotas. quãtumuis per se, ex Arist. sententia, secundũ Gal. esse causas secundum accidens: quia non primò, hoc est non immediatè agunt; sed alio, vel alijs intercedẽtibus. Et quãuis per se in prima significatione acceptum sit idem quod suapte natura, nihilominus vt est idem quòd primò, est etiam suapte natura tale: quoniam causa, quæ per se primò efficit, etiam suapte natura facit quodcunq; facit. Solum differũt vt magis & minus commune: quoniam per se primo modo acceptum communius est: verificatur .n. tam de causa proxima, quàm de remota: quæ inter se essentialem ordinem seruant, quales esse dicũtur causæ specificæ & genericæ. Sed altero modo verificatur dũtaxat de causa proxima, qualis est causa specifica.

in lib. de Sym pt. diff. cap. 2. circa medium

Definiuit etiam Gal. causam efficientem, quum generalem definitionem causæ aßignauit supra positam, quòd ea est, quæ suapte natura generationi eius

in lib. de Sym pt. diff. cap. 1.

Causa morbifica.

quod fit, aliquid confert. Ideoq; causa morbifactiua ea erit, quæ suapte natura generationi morbi, qui fit, aliquid confert. Et quoniam ex Gal. sententia, quod suapte natura est causa alicuius, est etiam per se primò, hoc est proximè & immediatè causa, ob id hæc causa erit proxima generationi morbi, qui fit. Ut in confeßò sit eos aberrare, qui asserunt Gal. hac definitione complexum fuisse non solum causas per se morbum efficientes, sed etiam ex accidenti & secundariò; siquidem, inquiunt, omnis causa, quæ agit in corpore, & aliquam morbo suæ generationis partem confert, morbifica dicitur. Sic certè causæ primitiuæ etiam, quæ interuentu causarum antecedentium, adeòq; ex accidenti ac secondariò morbos efficiunt, morbificæ reuera vocantur: quia suapte natura & suis planè viribus præcedentem causam efficiunt, quæ tandem primò & per se morbũ procreat. Vt igitur rectè aqua frigida curare tetanum dicitur, non obstante quòd id interuentu caloris, adeoq; ex accidenti ac secundariò faciat: ita quoq; causæ primitiuæ & si non semper perse; sed interdum ex accidenti morbos efficiunt, non immeritò inter morbificas causas à Gal.

ſas à Galen. numerantur. Et quòd Galenus per hæc verba, ſuapte natura, non excluſerit cauſas ex accidenti, ex ipſo Gal. fit manifeſtum, vt qui ſtatim à prædicta definitione ex ordine, quæ aliquid ſuapte natura ad morbi generationem conferunt, cauſarum alias eſſe per ſe, alias ex accidente ait. Quod pluribus, dicunt iſti, referendum nobis erat, propter eos, qui ſuapte natura idem quod per ſe non ſine magno errore ſignificare putant.

Sed non aduertunt talia aſſerentes, vt ab hoc vltimo exordiar, ipſos eſſe qui graui detinentur errore, quum exiſtimant ſuapte natura non eſſe idem quod per ſe apud Gal. quoniam non animaduertunt, quòd ſi ſuapte natura non excludat cauſam per accidens, quòd non rectè dixiſſet Gal. Cauſam morbi non ſuapte ratione & per ſe, ſed interueniente morbo lædere actionem: quinimo ſuapte ratione & ſui natura læderet; ſiquidem ex accidenti & ſecondariò læderet. in lib. de Simpt. diff. Cap. 1. „poſt mediũ. „ „ „

Non aduertunt etiam, quòd cauſæ externæ quãuis agant, non tamen eum effectum ſuapte natura producunt; quẽ antecedẽtes & proximæ procreant. Huius rei teſtis eſt Gal. ſic ſcribens. Nam quòd ex- lib. 1. de cauſis „pulſ. cap. 1.

" terna illa alteratio ad continentes peneraūit, proptere
" rea pulsuum causæ dicuntur, cum sua sponte &
" per se alterare illos nequaquam poßint. In quibus verbis ostendit causas externas alterare quidem corpus; verum non per se & suaſponte causas esse mutationis pulsuũ, sed intercedentibus cõtinẽtibus; siquidem externæ atq; præcedentes sint harum gratia, vt inquit Gal. sic etiam dicendũ, quòd vbi antecedentes causæ, de quibus paulo post & de procatarcticis fiet sermo, morbum excitant, hunc quidem sua sponte & per se procreant; externæ verò nequaquam: sed antecedẽtes duntaxat impellunt, quibus etiã mediantibus morbũ efficiunt. Quapropter non suapte natura faciunt morbũ: sed causas antecedẽtes excitant, à quibus per se & ex sui natura gignitur morbus, nisi & illæ interdũ occurrentes corpori opportuno suapte ratione & per se morbũ generant sine interuentu causarũ antecedẽtiũ vt non ab re morbificæ causæ tunc mereãtur dici. Ideoq; ex dictis cõstat, quòd quicquid ex sui natura est tale, est etiã per se tale, ex Gal. sentẽtia, et cõuertibiliter se consequuntur. Quamuis secus secundum Arist. sententiam, veluti prætactum fuit: siquidem

quidē per ſe latius accipiatur ab Ariſt. quàm à Gal. Conſtat quoq; ex Gal. ſentētia, quòd cauſæ procatarcticæ, vbi antecedētes mouerint, non ſunt verè cauſæ morbificæ; ſiquidem non faciant morbum, quemadmodum deſcriptio cauſæ morbificæ demonſtrat.

Neq; obſtat quòd Gal. diuiſerit cauſas in per ſe & per accidens: quoniam non eam ſolummodo, quā dixit eſſe ſuapte natura talem, complexus eſt ea diuiſione; ſed alteram etiam: quam ſine qua non nominari aſſerruit, & quam ibidem definiuit: quæ eodem auctore, veluti diximus, inter cauſas per accidens connumeratur. Eandem cauſam morbificam complexus eſt Auicēna ſub definitione cauſæ, quum dixit, quòd eſt id, quod primò eſt, & ex quo prouenit inuentio alicuius diſpoſitionis in corpore humano, aut eius fixionis. In qua definitione præter cauſam efficientem comprætendit quoq; cauſam conſeruantem, quæ eſt cauſa fixionis diſpoſitionis in corpore, quæcunq; fuerit ea corporis diſpoſitio; non ita tamen quòd conſeruans re ſeiuncta ſit ab efficiēte: quoniam, auctore Gal. eadem eſt cauſa efficiens, augens, & conſeruans; & ratione duntaxat maioris, aut minoris actio

2. ſen. primi in principio.

in lib. contra Iulianum.

in I. ad Thras. an ars tuendę sanit. spectet ad medicum vel gymn. cap. 19. & 20.

ris actionis inter se differunt veluti, ex scriptis à Gal. colligi potest. Et quamuis ibi loquatur de arte efficiente sanitatem & conseruãte, ad causas nihilominem potest eius sermo transferri; siquidẽ in proposito causa efficiens morbum inducat magnum lapsum in corpore, & conseruans lapsum inductum conseruet, & ei paruum alium lapsum superaddat, vt hac ratione causa augmentans, & figens dispositionẽ in corpore dici poßit.

Discrimẽ Gal. & Auic. de causa efficiente.

Differt nihilominus Auic. à Gal. quòd ille latius diffinierit causam pro causa tam proxima, quàm remota; Galen. autem solummodo pro causa proxima atq; immediata, veluti ex dictis manifestum est.

lib. de causis morb. cap. 2 in fine & cap. vl. 4. de san. tuen. post pri. 1. de morb. cur ca. 7. 4. reg. acut. in enar. t. 4. 2. de natura humana c. 1. & impleroſq; aliis locis.

De causa procartartica.

Hanc quidem Galenus subdiuisit in præincipientem siue procatarcticam aut primitiuam causam, & in præcedentem: quibus Auicena addidit coniunctam. Præincipientem causam nominat, quodcunq; extrinsecus aduenienens vehementer alterat & immutat corpora. sic dicta, quòd hæc primò corpora alterare & immutare incipiat, & reliqua post eam in alteratione succedant, & ei principium motus & alterationis adscribatur, ab eaq; reliqua alterantia originem trahant: quemadmodum ab ex

terni

terni frigoris occursu cutis densitans oritur; ab hac naturalis halitus digestio reprimitur, à qua febris succenditur. Ob quam etiam rationem huiuscemodi causæ primitiuæ dictæ fuerunt: à quibusdam tamen, veluti à Cornelio celso, euidentes, quòd ab omnibus non modo Medicis, sed etiam vulgaribus manifestè noscantur, vt nos etiam Galenus admonuit. Et ob id, quamuis inter huiusmodi causas aliquæ connumerentur: quæ non videntur extrinsecus accedere, sicut motus, vigilia, inedia, bubo, alui fluxus, animi affectus, & alia id genus, quæ à Galeno causæ variarum febrium esse statuuntur; nihilominus quia sunt adeò euidentes & manifestæ, ac si extrinsecus accederent: siquidem non solũ Medici; verum etiam vulgares sciant, vel arbitrentur se scire febrem dependere ab hac, vel illa causa procathartica, quamuis hæc ab extrinseco non occurrat corpori, meritissimò præincipientes, aut primitiuæ dictæ fuerunt. Vel, vt Auicẽnæ placet, dicuntur hæ causæ extrinsecus accedere: quoniam extra corporis substantiam existunt; ex quibus proueniunt dispositiones corporales aduentu primò, aut non primò. Motus itaq;

lib.1.in prohe.

1. de diff. feb. cap. 3 & lib.3. de presagõe ex pulsibus Cap. penul.

1. de diff. feb. cap.proprio

3.fen. 1. doct. 2.5.prima cap primo

tus itaq; , bubo , vigilia, & reliqua enarrata extrinsecus accedunt : quia non sunt aliquid ipsius corporis; siquidem anima etiam, vt inquit, sit aliud à corpore.

Et quamuis prædictæ causæ soleant Diarias gignere febres : quæ sunt leues morbi, vt non vehementer; sed leuiter corpus alterare appareant , vt Io. Argēterio placet : Nihilominus constanter tenendum est, quòd quicquid mutat corpus à suo naturali statu ad non naturalem, id quidem vehementer alterare atq; immutare ; non quod semper grauem & vehementem affectum inducat , sed affectum præter naturam proportionatum corpori, quod alterationi subijcitur : quoniam semper vehemens erit talis mutatio & alteratio ; siquidem prædictæ causæ non per se & suapte natura affectum præter naturam atq; morbum inducere possunt : Sed solummodo vbi ad imbecillum corpus ad morbos suscipiendos oportunum accesserint : cuius naturalem statum euertunt atq; permutant , vt sub varia qualitate & quantitate corpori occurrunt ; quemadmodum testatur Galenus de rebus, quas Medici non naturales appellāt. Atq; ob id placuit Hyppocrati, & alijs verteribus medicis has

lib. suo .1. de causis morb. cap. 8.

in lib.art,medi. cap.85.

medicis, has causas non præincipientes & procatharticas nominare; Sed potius occasiones: quoniam non per se & suapte natura morbum committere & inferre possunt; Sed solummodo vbi ad imbecillum corpus, ad morbos suscipiendos opportunum, accesserint. Veluti Gal. narrat: qui etiam scriptum reliquit, Hypocratem per occasiones causas manifestas & euidentes intellexisse: Non ita tamen intelligere oportet, has causas non suapte natura immutare corpus, quòd non per se primò immutent, quamprimum occurrerint corpori apto actionem suscipere; alioquin nullum agens vnquam per se primò ageret: quandoquidem requirat semper promptitudinem corporis suscipientis eius actionem; Sed intelligere oportet eas non suapte natura, hoc est non ex sua natura ita contrariari corpori, vt ipsum semper immutent; sed duntaxat cum corpus fuerit dispositum immutari, & tunc suapte natura, hoc est per se primò immutabũt. Neq; refert si quis dixerit suapte natura, vel suis viribus; quandoquidem omnis actio ab excessu virium agentis supra patines semper inducatur; & omne agens, quà agens, per se

occasiones.

in primo commẽtario supra 3. de morb. vulg. in enarratione t. 15. primo de morbo. vulg. com. 1. in enar. t. x. & com. 3. eiusdem primi in istoria 2. infirmi & 4. regi. acut in enara. t. 23.

primò, & suis viribus semper effectum producat. Sed Methodici, vt Dioscorides refert, nominabant has causas non præincipientes; sed præcedentes: quoniam, vt ipsi dicebant, præcedunt affectionem, & ea facta separantur à corpore, quales sunt verbi gratia labor, frigus, estus, & alia his similia. Gal. verò interpretes eas nominant externas: quoniam corpori extrinsecus aduenient, sicut quæ in animantis corpore consistunt, internas.

lib. 6. rei medicæ. cap. 35.

De quibus Gal. loquens dixit, quòd hæ sunt quæ in animali consistentes morbum præcedunt, siue affectus, siue motiones præter naturam fuerint, & sunt quæ morbos faciunt: quæ quoniam occultæ sunt, & non nisi à peritis Medicis cognitæ, ob id à Celso abditæ causæ dictæ fuerunt.

in lib. de causis morb. cap. 2 in fine: & in 2. de natura humana in enar. t. p.
De causa antecedente.
lib. 1. in prohe.

Neq; obstat quod obijcit Argenterius, quòd si causa antecedens est, quæ morbum efficit, sola causa immediata morbo esset antecedens; siquidem hæc sola faciat morbũ, & reliquæ omnes essent procatharticæ, quamuis internæ. Veluti in exẽplo, si calor calidũ morbũ cõmittit, & calidus humor calorẽ accendit, et humor ex prohibita trãspiratione incalescit; hanc autẽ

lib. 1. de causis morb. cap. 3.

cibus

cibus craßus peperit, solus quidem calor erit causa antecedens: quoniam immediatè facit morbum, reliquæ erunt procatharticæ. Verum cibus crassus erit externa causa, reliquæ internæ in animali cõsistentes.

Quoniam quod adducit Io. Argenteriis pro inconuenienti, credo ego summam neceßitatem habere apud Galenum: quandoquidem omnis causa, quæ actu efficit, sit immediata effectui, quem succeßiuè producit; sed causa antecedens morbum actu eum efficit: quoniam, authore Galeno, causa hoc nomine maximè dignatur, quoniam actu facit, ob id hæc erit immediata ipsi morbo, cui semper coexistit quãdiu efficit: quam dixit Gal. esse, quæ facit morbum, auget & conseruat. Quòd si plures sint causæ internæ in animali consistentes, quæ dicantur antecedentes, omnes vtiq; erunt antecedentes: quoniam facientes aliquem affectum præter naturam, quem immediate antecedunt; Sed vna duntaxat erit proxima & immediata ipsi morbo, reliquæ verò remotæ. Veluti, si febris humorum putredine succendatur: putredo autem ex prohibita transpiratione, & prohibita transpiratio ex obstructione; obstructio verò ex mul

in lib. de cõst. artis med. cap. 15.

lib. 2. de natura humana in enaratione t. p. & in lib. ar. med. cap. 88. in lib. de Sympt. d. cap. 2. & in lib. contra Iulianum.

titutidine, aut qualitate humorum: Quantitas nempè, aut qualitas humorum est causa antecedens faciens obstructionem, quæ est morbus in formatione, & prohibita trasspiratio, quæ est actio læsa propter obstructionem, quæ naturalem halitus digestionem impedit, habet rationem causæ Antecedentis respectu putredinis: quæ est actio læsa virtutis alteratricis; quoniam sæpenumero symptomatum alterum sequitur ad alterum, vt monet Gal. hæc autem putredo rationem obtinet causæ antecedentis merito febris; ex parte cuius dicitur proxima & immediata causa, & reliquæ dicuntur & sunt antecedentes remotæ: quæ etiam secundum doctrinam Galen. possunt causæ sine quibus non appellari, cōparatæ ad febrem: quoniā obstructio, atq; prohibita transpiratio non faciunt febrem ex putredine: Sed impellunt & excitant putredinem, quæ est illius causa: non.n. sunt aliqua causa generationis febris. Non quidem finalis: quoniā hæc est corruptio & destructio corporis: sicut .n. in naturalibus finis habet rationem boni sic in his quæ sunt pter naturā habebit rationē mali; siquidē ab agente præter naturā nihil boni poßit prouenire

in lib. de sympt. differentiis cap. 4.

in lib. de causis procath.

uenire

uenire. non formalis: quoniã hæc est calor præter naturam: non Materialis siquidem hæc sit corpus atq; humor; neq; efficiens: quoniam hæc est putredo erunt itaq; causæ sine quibus non: quoniam sine ijs putredo non poterit efficere febrẽ, eruntq; causæ, quæ nõ ex sui natura; Sed secundũ accidens, & non primò exci-tant febrẽ putridã quas, siquis voluerit, antecedentes remotas appellare poterit, non dissonus à Gal. asserente putredinẽ esse quandã causam antecedentẽ febrẽ. Per quẽ modum loquendi euidenter monstrauit dari plures causas antecedentes, quales sunt redundantia cũ crassitie & tenacitate humorum, obstructio, transpirationis retentio, atq; putredo: quæ omnes, excepta putredine, dicentur causæ remotæ, vel secundum accidens cõcurrentes ad generationem febris putridæ: quoniam non primò, & ex propria natura, Sed secundariò eam excitant. Putredo vero quoniam primò, & sua sponte febrem facit putridam, ob id proxima causa antecedens vocabitur, quemadmodum ex dictis liquet: quoniam morbum, hoc est febrem immediatè antecedit; singulæ tamen comparatæ ad proprium affectum præter naturam, quem indu-

lib. xi. de morbis. cur. cap. x. in fine.

cunt, dicentur immediatæ & antecedentes: quoniã sponte & per se primò eum efficiunt & antecedunt.

causas antecedentes remotas dari ex Galen.

Quod si nonnulli aduertissent, non negassent dari causam antecedentem remotam secundum Galeni sententiam, quemadmodum etiam, præter ea quæ dicta sunt, Galenus euidenter concessit, plures causas internas & antecedentes in corpore reperiri, cum ita scriptum reliquit. Densetur ab occursu externi frigoris cutis, cuius densitas naturalem halitus digestionem reprimat, repressus ille coaceruetur, tandem accendat febrem, ob quam vsus pulsuum mutetur. Itaq; etiam ipsi pulsus, Hîc externa causa est occursus externi frigoris, cæteræ vsq; ad vsum pulsuum, omnes præcedentes. Causa igitur externa, intercedentibus causis præcedentibus, quia uariat vsum pulsuum, quæ vna ex continentibus causis est, etiã immutat ipsos pulsus. In quibus sanè verbis ponit Galenus plures causas Antecedentes ordinatim concurrentes ad mutationem pulsuum. Neq; etiam ijdẽ rectè sentiunt, cum asserunt causas remotas, & quæ potentia, non actu morbum efficiunt, esse omnes causas

primo de causis pulf. cap.1.

nõ omnes causas remotas esse externas vt placet nonnullis.

nes causas externas: quandoquidem, ex Gal. met in citatis locis, non paucæ sint causæ internæ: quæ nō actu concurrunt ad productionem affectuum præter naturam; sed potentia solum. Quemadmodum cum pro curatione febrium putridarum docet remouendum esse quod putredinis iam factum est, & quod in generatione adhuc est, sistere; & quod obstructionis iam factum est, soluere; quod futurum est, propulsare. Nemini certe dubium, Galenum velle humores, iam putridos actu efficere febrem, & humores iam impactos actu obstruere: qui vero non adhuc putridi sunt, neq; adhuc meatibus impacti non actu quidem; Sed potentia efficere morbum, & nihilominus sunt causæ internæ, & non externæ. Dabuntur itaq; causæ internæ, & antecedentes remotæ quæ potentia non actu efficiunt morbum. Veruntamen quoniam causa eo maxime hoc nomine dignatur, quoniam agit, ob id Galenus diffiniens causam antecedentem, dixit eam esse, quæ efficit morbum; quia nomen causæ in sua digniori & propria significatione accepit. Neq; etiam verum est, omnes causas remotas esse potentiales, vt illi met ostendunt: quandoquidem

lib.xi.de mor. cur. cap.x.

nõ omnes cau sas remotas esse potentiales. vt placet nonnullis.

quamdoquidem hæ causæ remotæ sint: vel quæ non sua sponte & per se primò efficiunt; sed ex accidenti & secundariò, quia alias impellunt: quæ sua spõte agunt, & istæ non causæ in potentia; sed actu tales esse dicuntur, & sine quibus non: quas in corpore inueniri ostensum est ex Gal. vel quæ nõ agunt primò, neq; secundariò: poterunt tamen per se primò agere morbum, cum fuerint de potentia ad actum deductæ, & iste sunt illæ causæ remotæ, quæ sunt potentia ac poterit effici vitiosus vt benignus humor potentia putridus, qui sua sponte causabit febrem, quas etiam non reperiri in corpore nemo ibit inficias, atq; sic ex Galeno.

2. fen. primi d. 2.5.1. cap.1.

Auicena vero, diffiniens has causas antecedentes, dixit quòd sunt causæ corporales humorales aut " complexionales, aut compositionales; ex quibus ad- " uenit dispositio non aduentu primo; sed aliquo mediante. In quarum diffinitione claret Auicennam omnino dissentire à Galeno; siquidem Auicēna velit has causas esse remotas: quas tamen Gal. asserit esse proximas & immediatas ipsi morbo, quod qua ratione id euenerit, declarabitur consequenter.

Secundũ

SEcundum declarandum ex titulo Quæstionis erat, quid nomine causæ coniunctæ aut continentis intelligendum sit: quod licèt poßit declarari, tanquam hæc causa sit tertia quædam differentia causarum ab alijs distincta, vt multis placet: nunc tamē solummodo quid ipsius considerabimus, reseruantes illius determinationem ad ea, quæ inferius dicturi sumus.

Varijs hæc causa appellatur nominibus; nimirum coniuncta, vt in ore omnium versatur, continua, continens, atq; inhærens. Quod animaduertens Galenus, vt multitudinem nominum euitaret, & cuilibet concederet pro suo arbitratu eam nominare posse, cum de ea loquitur, obseruat ferè semper hunc modum loquendi, vt dicat, vt ita dixerim, vt ita dicam. Dicitur quidem coniuncta: quoniam cum re iuncta est, cuius dicitur causa. & continens; quòd essentiam eorum contineat, quorum est causa. Continua verò; quoniam continuatur, atq; immediata est ei rei, cuius dicitur causa. & tandem inhærens; quòd ei inhæret, cuius est causa.

primo de causis Symp. cap. 2 & 5. 2. pronos. co. 43. & alibi

Hanc Stoici inter philosophos primi extiterunt, qui in philosophia inuexerint, asserẽtes ignem et aerem, quia formæ quodammodo essent & spiritales substantiæ, reliqua quòd materialia essent continere. & Atheneus Attaleus primus medicorũ: qui eam de philosophia in medicinam deduxerit. Quam Gal. etiam dari cõcedit: non ita tamen latè ut Stoici & recentiores medici sui temporis concedebant, uelut ex dicendis apparebit. Sed neq; Aristoteles eam negat; quinimo expreßis uerbis eam asserrit in singulis generibus causarum: aliter tamen quàm Galenus; siquidem Aristoteles uelit remotißimam & genetricam causam, quòd singulares & inferiores uel proximas causas in proprio genere contineat, continentem nominari: quemadmodum etiam ex comentarijs Simplici manifestum est: At Galenus non remotam; sed proximam & specialißimam atq; singularem continentem esse. Quàm diffiniens dixit eam esse quæ illorum essentiam continet, quorum est causa. Quæ sanè definitio quid nominis explicat. Cuius essentialem aßignans, dixit eam esse: à qua res ipsa fit, & cum ea pariter cessat. Quam etiam

in lib. aduers. Iulianum.

lib. 2. phis. t. 32 & 33. 38.

causa continẽs quid inter initia primi libri de causis puls.

in lib. contra Iulianum in fine.

Methodici

Methodici, eam ponentes, diffinierunt dicentes esse quæ præsens, præsens est affectus, & crescens augetur; decrescens verò & desinens minuitur etiam & desinit, veluti Dioscorides annotauit. Et rursus Galenus eam diffiniens, dixit eam esse primam actionis causam, vt euidenter ipse concedat, hanc causam dari, quæ sit ipsius motus siue actionis & productionis causa; at non quidem rei productæ: quoniam hæc causa non per se primò continet essentiã rei, quæ post motum remanet; sed duntaxat essentiam eorum, quæ motus & actionis causa esse dicuntur. Adeò quòd secundum Galenum per causam cõtinentem non est quid aliud intelligendum, quàm affectus permanens in corpore: qui, vt est secundum naturam, erit causa continens functionum secundũ naturam, qualis est sanitas: vt verò præter naturam, sic est earum functionum, quæ sunt præter naturam causa cõtinens quemadmodum Morbus. Veluti, sermonis gratia, si proba partium vel totius corporis constitutio causa est continens & prima atq; immediata bonarum functionum, quòd earum essentiam contineat sitq; causa generationis & productio

lib.6.de mãt. medica.cap.35
lib.2. de morbis cur.cap.4.

nis earum, vtiq; vitiata corporis constitutio causa erit continens & prima atq; immediata læsionis functionum; siquidem contrariorum effectuum contrariæ sint aßignandæ causæ. Quòd si quis hanc causam ad morbum trãsferre voluerit, non sanè aliter statuenda erit, quàm quòd sit generationis illius causa. Quam Auicenna etiam diffiniens, dixit quòd est causa corporalis: ex qua dispositio corporalis prouenit aduentu primo, scilicet absq; medio. Vt voluerit hanc causam esse proximam & immediatam effectui. Veluti putredo, quæ efficit febrem, & humor obstructionem, & obstructio cæcitatem, omnia dicuntur esse causæ coniunctæ: quoniam hærent & vnitæ sunt cum affectu, quem faciunt: quibus etiã sublatis remouetur affetus veluti positis ponitur: vt posita, vel remota obstructione ponitur, vel remouetur cæcitas. sic de humore obstruente, & putredine faciente febrem dicendum est. A quo non dißentit Ioanitius, in hunc modum eam diffiniens, quòd causa coniuncta est, quæ dum adest, adest infirmitas; & eadem abeunte abest & infirmitas.

In Isagoge cap. 40.

Sed locus difficultatis est: quoniam si hæc causa

ponitur

ponitur proxima & immediata ipsi morbo, cum etiam causa Antecedens sit immediata & proxima causa, vt ex Galeno fuit prius ostensum, nulla apparebit differentia inter hanc & illam causam. Nisi esset quod transferendo nomen causæ continentis ad generationem morbi, causa antecedens & coniuncta re & ratione essentiali idem sunt; sed ratione accidentali differunt: quoniam dicitur antecedens, si spectetur ad affectum, qui debet in corpore permanere; quamuis adhuc non permaneat: coniuncta vero si ad affectum, qui est in generatione eadem consideretur; quandoquidem hæc semper generationi illius & productioni coexistat, & vnita sit.

Differ. quænã sit int. causam antecedentem & coniunctã secundũ Gal.

Sed hic rursus oritur difficultas: quoniam Galenus ponens tres differentias causarum, nempè externas, precedentes, & coniunctas, vult continentes causas esse primas & præcipuas; Antecedentes verò & externas, non proximas, sed remotas. Vt velit omnino eas abinuicem re separari; siquidem eæ sint remotæ, illæ autem proximæ.

int. initia pri. de causis pulf.

Cui dicendum, quòd causæ contentiuæ bifariam quæruntur, vel ipsarum actionum, vel ipsorum mor

borum

borum & affectuum corporis. Si actionum, sic vtiq; affectus corporis, nempè sanitas ac morbus sunt causa earum: sanitas quidem actionum secundum naturam; morbus autem vitiosarum & præter naturam. Quo modo causæ continentes differunt re ab antecedētibus, sicut affectus corporis re differt à causa quæ eum producit. Si verò morborum ac affectuum causæ contentiuæ quærantur sic dicendum est eas ab antecedentibus re nequaquam seiungi: quoniam causa, quæ antecedit morbum & affectum, eum etiam facit, ideo est causa mutationis & generationis illius, quare erit causa coniuncta. Sed Galenus in loco citato loquutus fuit de causa contentiua ex parte actionum, non affectuũ, ob id dixit illas esse præcipuas.

Neq; in hoc quibusdam assentio, asserentibus Antecedentem causam, & coniunctam multifariam distingui. & primò, vt inquiunt, quòd coniuncta posita ponatur affectus, hoc est pathos; & separata separatur; ea autem, hoc est antecedente posita non ponatur affectus, nec separatur; sed manet nihilhominus. & secundò quòd continens tempore prior est; Antecedens verò posterior: quia hæc

fientis;

fientis; illa autem facti causa existit. Et tertiò quia continens non immediatè; sed pathemate interuenien te morbum præcedit; Antecedens verò morbo proxima est & immediata. In quibus certe aberrant: quoniam eadem est ratio vtriusq;; siquidem causa Antecedens sit, quæ per se agit morbum, & ea posita ponatur morbus in fieri, & remota remoueatur etiam morbus in fieri, atq; sic ponatur & remoueatur pathema: quoniam causa ea ratione dicitur causa, quia agit, & respectu eius quod factum est non dicitur causa, nisi sub ratione finis intenti ab ea. Quapropter licet separata causa Antecedente remaneat morbus; non tamen causa Antecedens, ratione qua agit, dicitur causa permanentis affectus; sed duntaxat meritò finis præconcepti, & propterea re non erit separata à causa coniuncta.

Neq; oportebit imaginari quòd continens sit tempore prior, & Antecedens posterior: quoniam cum vna & eadem sit causa; quæ varia, & quæ dicta sunt, nomina, hoc est Cōtinentis & antecedentis obtineat, vnam etiam habitudinem temporis ad suum effectū semper obtinebit. Vt etiam superuacaneum sit fingere

gere continentem causam, pathemate interueniente, morbum præcedere, Antecedentem vero nullo intercedente: quoniam ea causa, quæ facit morbum, facit per prius de necessitate pathema; siquidem nihil sit factum & permanens, quin prius fuerit in fieri. Quapropter etiam causa non potest producere aliquid in esse firmo & stabili, quin prius in fieri, & prius pathos ipsum, quam factum pathos & permanens.

discrimen Galeni & Auic. de causa continente.

Secus tamen secundum Auicennam: dicendum erit; siquidem hic uelit causam coniunctam eam esse, quæ actu facit, & est immediata morbo, qui est in generatione; Antecedentem verò esse causam remotam, quæ ad huc morbum non facit, sed ex proximo poterit efficere. In quo certe non differt à Galeno nisi in modo loquendi: quandoquidem ea causa, quæ actu efficit, à Galeno dicitur Antecedens, ab Auicenna coniuncta; quæ verò potentia agit ab Auicenna Antecedens, à Galeno etiam Antecedens; sed remota, vel causa sine qua non, vt prius ostensum fuit. Ex quibus apparet differentia inter Galenũ & Auicennam circa considerationem causarum

plurimum

plurimum in nomine versari, & ob hanc rationem Auicennam fecisse trimembrem diuisionem causarum morbifiticarum, & Galenus bimembrem. Quin etiam non solummodo causa continens est eadem re cum causa antecedente; Verum etiam interdum re, & ratione est eadem cum causa procathartica: quemadmodum hæc etiam eadem esse potest cum causa antecedente ex Galeni sententia, prout ratio demonstrat; quandoquidem causa antecedens sit, quæ facit morbum; at causa procathartica nonnunquam & ipsa efficit morbum, ob id antecedens pro tunc nuncupari poterit; quoniam cui definitio conuenit, eidem & nomen definiti conuenire debet. Quamet etiam ratione continens nominabitur, quòd prima & immediata causa existat generationis morbi, quæ quã diu est, tandiu est etiam productio morbi, et quamprimum cessat, cessat etiam generatio eiusdem. Neq; inter eas erit alia differentia, nisi quòd procathartica erit causa externa, antecedens verò interna. Quæ sanè differentia est duntaxat accidẽtalis: quoniam accidat causæ facienti morbum, quòd vel intra, vel extra corpus existat. Si itaq; ratio causæ

Causam procatharticam antecedentẽ continentem iuui cem interdum non differre

antecedentis interdum conuenit procatharticæ, & eidem etiam conueniat ratio continentis, vtiq; idem erunt re & ratione causa procathartica, antecedens, & continens, & solis nominibus, atq; rationibus accidentalibus erunt distinctæ; siquidem causa procathartica nuncupetur, quòd extrinsecus corpori adueniat, vel extra corporis essentiam existat, & eadem dicatur antecedens: quoniam apposita corpori faciat morbum, quem antecedit, vt is debet in corpore subsistere: continens verò, vt proxima causa generationis morbi. Itaq; hæc continens causa non faciet tertium genus causæ re distinctum à procathartica & antecedente ex Galeni sententia; sed necessariò erit altera earum. Nonnunquam tamen causa procathartica, & antecedens re atq; ratione ab inuicem seiungũtur. Quod accidit quando causa procathartica nõ primo facit morbum; sed interuentu causæ antecedentis: quoniam illa primò antecedẽtem mouet; hæc autem morbũ immædiatè facit. Ad quod respiciens Galenus eas ab inuicem seiunxit, & de continente loquens nunquam dixit eam esse internam, vel externam; quod animaduerteret alterutrum earum

esse

esse posse. Sed quid sit morbus ex vtriusq; sententia, quod erat alterum videndum, reliquum est considerare, & dicamus ex Galeni sententia morbum esse affectum præter naturam, à quo actiones primò vitiantur. Quem non aliter diffiniuit Auicenna, cum dixit, quòd est dispositio non naturalis in corpore humano: ex qua in operatione essentialiter prouenit nocumentum prouentu primo. Pro cuius definitionis explicatione oportet declarare, quid nomine affectus intelligẽdum sit, cuius gratia ambigua redditur aßignata definitio, quemadmodum ex dicendis apparebit. Affectus nimirum de mente Galeni tres habet significationes, primam quidem & valde generalem pro omni corporis, atq; animi alteratione, tam naturali, quàm præter naturam. Alteram & minus generalem, qua eam significat alterationem, quæ est præter naturam. atq; tertiam, vt alterationem duntaxat permanentem importat: quæ specifica dici potest. Quòd autem res ita se habeat, audiamus Galenum sic ad verbum scribentem. Morbus quidẽ dicitur constitutio quædam præter naturam, à qua actio primò vitiatur; quin si affectum dixerimus, à quo

Morbus quid

in lib. de sympt. diff. cap. 1. 2.

Affectus tria significat.

in lib. de sympt. diff. cap. 1.

" actio vitiatur, idem nos dixisse cōstat. Nam quic-
" quid est, id aliquo modo afficitur, siue sanum fuerit,
" siue ægrum, siue neutrum; atqui nomen affectus ab
" affici quodammodo deriuatur. neq; philosophis dun-
" taxat, verum etiam reliquis græcis omnibus in hunc
" vsum receptum est: etenim affectus generatim ad
" omnes pertinet, tum sanos, tum ægros, tum neutros
" insuper & cantum, & harmoniam, & orationē,
" & dictionem affici dicunt Græci. Hæc Galenus. In quorum verborum serie apertè demonstrat genericam significationem affectus esse, quòd dicatur pro omni mutatione, qualiscunq; ea fuerit, vel naturalis, vel præter naturam. Sed paulo ante hæc verba
" citata, rursum ita scriptum reliquit. Sanè omnis cor
" poris affectus, à naturali constitutione recedens, aut
" morbus est, aut causa morbi, aut symptoma morbi In quibus verbis explicat alterum & secundum significatum affectus, vt mutationem significat: qua corpus præter naturam mutatur et alteratur. In qua significatione, vt ipse testatur, eum accipit per totum librum de morborum curatione per mißionem sanguinis, sic dicens. Verum nunc mutationes in habitum præ

in lib. de curatione morb. p mißionē sanguinis. cap. 3.

bitum præter naturam, qualescunq; fuerint, affectus per vniuersum hunc librum nominamus. Deinceps post hæc omnia explicans quid sit affectus in tertia significatione acceptus, hæc pauca subdit. Cũ .n. quieuerit alterans, alteratio permanens in re, quæ perpessa est, eiusdem rei affectus esse censetur: non proprie tamen; sed abusiue sic accipi nomen affectus asseruit, vt ipse clarè monstrauit in hunc modum scribens, Vbi ad permanentem dispositionem alteratio peruenerit, sitq; dispositio scilicet præter naturam, morbus appellatur. Quamuis per abusionẽ interdum eandem dispositionem nonnulli affectum nominent: qui si more Græcorum, patrio nomine vterentur, partes ipsas potius affici dicerent, cum motum sustinent præter naturam. Cum verò dispositiones habent præter naturam, si propriè quis loquatur, ægrotare eas potius, quàm affici dicet; quod si ab vsu recesserit, non solum ægrotare; sed affici quoq; dicere poterit. Atq; sic apparet ex dictis nomen affectus trifariam accipi, nempè generatim, speciatim, & abusiue: vel bifariam propriè, & abusiue, & propriè vel generatim, vel speciatim. Quibus sic notatis dicen-

in lib. de sym. pt. diff. cap. 1.

lib. 1. de loc. affectis cap. 3.

tis dicendum est affectum positum in definitione morbi accipi in tertia significatione, ideoq; impropriè & per abusionem acceptum esse. Cuius quidem dicti ratio ex verbis Galeni est satis euidens; siquidem omnis dispositio præter naturam permanens abusiue nominatur affectus; at morbus est dispositio præter naturam permanens. igitur morbus abusiue nominabitur affectus.

Morb. abusiue vocatur affectus.

Sed ambiguitas oritur, qua ratione motus fuerit Galenus, vt diffiniuerit morbum per affectum, si is abusiue dicitur de morbo. Nisi esset, quòd more aliorum ita diffiniuit, vt ipse testatur. Qui postquam definiuit morbum per esse constitutionem præter naturam, statim subdit. " At manifestum est, " quòd si affectum non naturalem dixeris, eadem erit " significatio, & nomine vsus fueris antiquo. Et rur" sus cum dixit. " Morbus quidem dicitur conctitutio " quædam præter naturam, à qua actio primò vitia" tus: quin si affectum dixerimus, à quo actio vitia" tur, idem nos dixisse constat. Vt præter illud quod dictum est, appareat etiam ex Galeni sententia pro eodem accipi affectum, dispositionem, & constitutionem

in lib. de sympt. diff. cap. 2.

in lib. de morborum differentiis cap. 2.

in lib. de symp. diff. cap. 1.

tionem in ratione morbi, & nihil referre si hoc, vel illo modo definiatur. Quemadmodum etiam eiusdem placitum fuisse quòd morbus sit res præter naturam in corpore permanens: quandoquidem constitutio præter naturam sit res in corpore firma & permanens; & quia morbus est constitutio præter naturã. Vtiq; erit etiam in corpore permanens. Non ita tamen quòd ad essentiam morbi sufficiat permanentia eiusdem in corpore; sed quòd præter læsionem functionum requiritur etiam permanentia: quandoquidem, authore Galeno, hæc duo constituant morbũ, affectus nimirum constans & permanens, & functionum læsio.

Morbum esse rem permanẽtẽ vide latius infra

necessario requisita ad essẽtiam morbi.

Sed non desunt qui aßignatam morbi definitionem perturbant, vt oscitanter duntaxat & superficietenus eam, & verba Galeni delibasse præseferant. Quod facit Ioannes Argenterius (bona eius pace sit dictum) qui motus quibusdam rationibus sic eam turpiter reprehendit. & primo quidem quoniam Galenus ambiguo vtitur genere: quandoquidem velit non solum morbum ipsum; sed etiam symptomata, & causas morborum affectus eße præter naturam.

in lib. de generibus morbi cap. 1.

ram.

ram. Tum etiam quia sibi consentire non videtur, quòd dicat affectus dispositionisq; nomen alterationem stabilem & permanentem significare, ut meritißimò censeat actiones, alterationesq;, quæ adhuc præsentibus suis causis nascũtur, et in ipso (ut aiunt) fieri naturam suam obtineant, affectus vocari non posse. Præter hoc etiam quòd causas, affectus, vel dispositiones vocare est nomine plane abuti, res ipsas inter se confundere: quandoquidem velit ipse affectum esse alterationem, & Aristoteles qualitatem: at causa nec alteratio est, nec in qualitatis; sed in eorum, quæ comparatè dicuntur, genere continentur. Ex quibus sequitur frustra dicere Galenum se addere in morbi definitione, quòd primò actionem lædat, ad Causæ morbi differentiam; quòd hæc non nisi interueniente morbo actionem lædat: quoniam ex genere morbi quæ inter illa sit differentia statim conspicitur; siquidem morbus dispositio sit; Causa autem minime; ut alio præterea non sit opus, quod discrimen ponat.

Et rursus affectum dispositionemq; vocare alterationem, quæ stabilis iam sit & contumax, est

antiquam

antiquam verbi significationem corrumpere, vt Aristoteles apertè ostendit, contrarium omnino significat: nempe qualitatem, quæ facile dimoueri potest.

Quemadmodum etiam eam solùm alterationem, quæ stabilis iam sit quodammodo facta, morbum vocare rationi artiq; medicæ nō apparet consentaneum, quum Diariam febrem, leuioraq; alia corporis vitia, atq; adeo etiam grauiora, vt Apoplesia, morbos nuncupemus, & si minimo solum temporis spatio perdurent. Atq; in hoc Galenus sibi omnino repugnat, cum scribat eos errare, qui morbum stabilē contumacemq; affectum esse definiebant, contenditq; permanentiæ nomen ab eius definitione penitus subtrahendum. 1.&2.lib.meth med.

Sibi etiam repugnantia dicit Galenus, cum velit morbum esse affectum præter naturam, qui euidēter hominis functiones lædat, & alibi statuat morbum esse cumprimum corpus à naturali statu vel minimum egreditur: quamuis præ exiguitate neq; à nobis cognosci, neq; laborantium sensu percipi poßit. primo de loc. aff.

Neq; etiam verum est, inquit, quòd morbus primo actionem lædat: quoniam inter eum, &

actionem mediat vis corporis. Vt intemperies primò causa est facultatis agendi; facultas autem ipsius actionis, hæc verò operis. Sicut libro primo de facultatibus naturalibus, & alibi paßim ostenditur: alioquin corruunt omnes libri, quos de facultatibus nostrum corpus regentibus conscripsit.

Præterea non separat hac diffinitione morbos à causis, & Symptomatibus; siquidem nonnullæ causæ lædunt suas actiones nullo interueniente morbo. Veluti concoctio alimenti exuperante illius copia labefactatur nullo morbo interim affecto ventriculo: sed euicta quodammodo statim ipsa facultate, quemadmodum per partis morbos contingit. Quamobrem si pari distantia cum morbis nonnullæ causæ actiones corrumpunt, eas quoq; inter morbos collocare oporteret. Sicut etiam eadem ratione priores actiones: quæ sequentes offendunt, vt coctionem corruptam: quæ nutritionem fieri impedit, necnon & ea symptomata, à quibus actiones labefactantur, dolorem, & tunicæ corneæ colorem, atq; duritiem, mollitiem, raritatem, & densitatem quarundam partium inter morbos ponat necesse est cum tamen nec ad intemperiem,

temperiem, nec ad ea, quæ instrumentarias partes constituunt, pertineant; sed in symptomatum genere collocentur.

Postremò absurdum est morbum definiri per actionum læsionem: quoniam multarum partium actio destruitur: quarum tamen substantia integra & sana manet. Quemadmodum sunt omnes partes ab alijs vim, aut materiam suscipientes, vt nerui, & partes voci subseruientes: quæ certè morbo affectæ dici non possunt, alioquin essent ipsis remedia admouenda: at id non facimus, propterea quòd non ægrotant, etiam si suo munere & actione priuentur. Oporteret præterea morbos similarium ad instrumenta quoq; referri, si modo per febres motus, aliæq; instrumentorum actiones impediuntur, quod absurdum esset: alioqui non solum solutionem continui; sed omnes intemperaturas vtrisq; partibus communes morbos statuere oporteret.

Præterea cum morbus non solum lædat actiones; sed etiam alienas qualitates corpori conciliet, & excremēta naturalia &c (hæc enim omnia morborum affectus à Galeno ponuntur.) cur quæso potius actio,

quàm alia duo in illius definitione assumi debet? præsertim cum ex illis clarius nonnunquam, quàm ex actione intus latente morbus innotescat. Veluti vlcus intestinorum ex mutatione excrementorum nullo præbente inditio illorum actione, & hepatis morbũ ex vitiato colore in morbo regio deprehendimus.

Hactenus Ioannes Argenterius contra definitionem morbi aßignatam à Galeno, qua nimirum (vt ipse credit) reprobata, hanc aliam vt veriorem enũciat: quòd morbus non est aliud, quàm corporis constitutio præter naturam. Quam etiam voluisse Galenum inquit, cum dixit sanitatem constitutionem siue compositionem esse; & in ipsa structura corporis tum eam, tum morbum collocari censuit. Et pariter cum dixit morbum esse inæqualitatem calidi, frigidi, humidi & sicci; nulla læsionis actionum facta mentione, quòd ea constitutio præter naturam lædat quidem actiones; sed non primo: quoniam vitiata potentia intercedit.

lib. de morborum diff. cap. 2

lib. 5. de plac. hyp. & plat.

Sed si verum est quòd quicquid medicus considerat corporis humani ea quidem ratione cõsiderat, qua circa ipsũ operari debet multa ex ijs quæ adducuntur

ab aduersario

ab aduersario corruent. Nam cum in potentias, quæ sunt actionum corporis causæ agere non poßit, nisi ut constitutionem corporis immutat: quòd testante Aristotele in secunda spetie qualitatis nulla fiat alteratio, nisi quia primæ qualitates immutant. ob id tametsi ex natura rei potentia agendi intercidat inter corporis constitutionem à qua secundum essentiam dependet, & actionem ipsam: nihilominus, ut Galeno etiam placet, potius dicitur constitutionem esse causam actionum, ut suæ pertinet arti, quàm potẽtiam. Quandoquidem animaduertat Medicus tanquam artifex: qui in omnibus sequitur sensum, quòd ex bona & perfecta corporis constitutione bonæ & perfectæ fiunt actiones & ex mala; vitiosæ, ex potentia autem deprendere non poßit. ob id asseruit Galenus constitutionem non esse simpliciter primam & immediatam causam actionum; sed causæ rationem obtinere, ut medico attinet, & bonarum quidem si ea fuerit secundum naturam; vitiosarum autem si præter naturam. Non mirum itaq; si interdum definiuit morbum per esse affectum siue constitutionem præter naturam, & nihil aliud in definitione addideret: quo-

lib.7.phys.t. cap.19.

in lib.de plen. 1. de simpl.medi. fac. cap. 1. & 3.de loc.aff. cad.

in lib.de mor. diff. cap. 2. & primo de san. tuen.

in lib.de mor. diff.cap.2.& in lib. de sympt. diff. cap.2.

ret: quoniam voluit subintelligendum esse quod sit actiones impediens, sicut interdum dixit eum esse causam, ob quam vitiata est actio. per causam subaudiens constitutionem præter naturam, & aliquando per esse affectum impedientem actionem. Subintelligens quòd sit præter naturam alioquin; nō impediret; & etiam quòd primò & per se impediat: quod tamen voluit interdum adijciendum esse propter rudiores & rixosos vt huiuscemodi reddatur definitio. Morbus est affectus corporis actionē aliquam impediens primò. Ex quibus apparet non aliam definitionem morbi ab ea, quæ Galeni est, Ioannem Argenterium adduxisse: sed eadem penitus vt frustra omnino contenderit, eam ab omnibus iamdudum receptam rationibus antea adductis euertere quas tamen dissoluere non erit difficile.

in lib. de sym pt. diff. cap. 2.

Et prima quidem tollitur quòd nō ambiguo vsus sit genere, si ea teneantur, quæ de significatione istius nominis affectus dicta fuerunt: quandoquidem affectus in ratione morbi positus rem stabilē atq; permanentē in corpore p alterationē inductā significet à qua significatione secludūtur actiones et alterationes, quæ

adhuc

adhuc præsentibus suis causis nascuntur. Quòdsi quæcunq; symptomatum, causarumq; ex permanentiũ constantiumq; numero existentium affectus, in hac significatione acceptus, esse dicantur; non ob id tamen morbi dici merentur, quoniam præter hoc quòd morbus sit de numero permanentium, requirit quoq; quòd actioni primò incommodet, quod illis denegatũ est. Et quia is affectus, qui primo actionem lædit, est constitutio corporis præter naturam, Idcirco nil momenti erit, si dixerimus morbum esse affectum, vel constitutionem corporis præter naturam.

Neq; etiam obest quòd si Causæ in genere eorum, quæ comparatæ dicuntur, ponantur, ob hoc non possint etiam in qualitatis genere reponi, & affectus dici; quandoquidem, teste Aristotele, vna & eadẽ res; variè tamen considerata; poßit in varijs generibus collocari. Quapropter causa, ea nimirum ratione qua causa, quia ad causatum refertur, in genere eorum, quæ ad aliud dicuntur, collocabitur; & eadem, vt corpus alterat, immutat, & præter naturam afficit, poterit in qualitatis genere reponi, & nomine affectus, vel dispositionis nominari: & ob id

morbus

morbus, & causa morbi genere non different; sed alio quopiam erit opus, quod inter illa discrimen ponat, nimirum actionum læsione: quæ est alterum necessariò requisitum ad essentiam morbi. Atq; sic tres primæ rationes de medio sublatæ sunt.

Altera etiam ex ijs, quæ supradictæ fuere, facile tollitur: quandoquidem dictum sit ex Galeni sententia nomen affectus impropriè & per abusionem alterationem stabilem, hoc est rem per alterationem in corpore inductam & permanentem significare, sequutus aliorum morem, qui morbum per affectum diffinierunt; præter hoc etiam quòd, authore Aristotele, dispositionis nomen licet interdum ad habitum transferre.

primo de loc. affec. cap. 2.

in predic. qualitatis.

Sed neq; altera ratio robur habet, qua probare contendit morbum non esse alterationem permanentem: quoniam permanentiæ nomen bifariã accipi potest, nimirũ pro existentia rei cuius dicitur pmanentia qua pmanet quicquid absoluto pfectoq; motu manet ac restat, & pro eiusdẽ rei diuturnitate, siue tẽporis duratione, aut dicere velimus quantitate temporis. Primo quidem modo morbus est alteratio firma

& permanens:

& permanens: quoniam absoluto motu in corpore existit, estq; vna conditionum, quæ ad eius essentiã requiritur. Sed non altero modo: quoniam vel longo aut breui tempore, aut etiam momento ipso duret, modo functionis corporis lædat, semper vocabitur morbus, nulla habita ratione quantitatis, nec differentiæ temporis: & in hoc significato Galenus reprehendit antiquos asserentes morbum esse affectum corporis præter naturam permanentem, & ægrè solubilem. Quapropter absurdum est in hoc Galeno notam inconstantiæ impingere.

primo de morbo.cur cap. vltimo & 1. de loc. affe.cap.2

Sicut etiam in altera ratione facit Aduersarius: quoniam ex natura rei verum quidem est quòd quã primum corpus à naturali suo statu recedit transit in morbosum, vt nihil omnino intercidat inter sanitatem & ægritudinem. Nõ tamen id perpetuo verum est apud Medicum, qui authore Galeno, vbiq; sensum iudicem sibi constituit; si quidem is nullum affectum esse morbum decernit, nisi ad sensibilem magnitudinem peruenerit, & aliquam actionem corporis euidenter impedierit. Quod quidẽ voluit Galenus in definiendo morbum. Atq; sic dicta sedantur, quæ

lib.1.de san.tuen. & in lib. art.med.cap.8

inter se pugnare videbantur.

Sed quid ad alteram rationem dicendum sit, quæ probat morbum non primò actionē lædere, propterea quòd inter eum & actionem mediet vis corporis, apparet iam ex ijs quæ prius dicta fuerunt, & etiā ex nouißimè dictis: quoniam si ad naturam rei spectetur est vtiq; verum quòd vis corporis mediat, & quòd morbus actionem non lædit, nisi quia prius facultatem offendit. At si ad sensum quis spectare velit, qui in omnibus debet esse iudex, sic sola constitutio erit actionum causa ipsi medico; quoniam is iudicat formam corporis & essentiam facultatum esse propriam partium constitutionem, vt ex Galeno monitum est. ob id Medicus asserit corporis, vel cuiuspiam membri constitutionem esse primam actionis causam, & non facultatem.

in lib. de plen. & 5. de loc. affectis cap. 7. & primo de simpl. med. facul. cap. 1.

Altera autem ratio, quæ ostendit quasdam causas immediatè lædere suas actiones nullo interueniente morbo, est Medico superuacanea, si Galeno credimus ita scribenti. Quærere an dicendum sit actionē ipsius per huiusmodi excrementa fuisse læsam, an contra ad medicæ artis opera superuacaneum est. Ex

lib. 1. de loc. affect. cap. 4.

principijs

principijs tamen ſcientiæ de natura ſic ſoluenda eſt, negando quòd exuberante copia alimenti labefactetur concoctio, quæ eſt actio ventriculi: quoniam, teste Aristotele, omnis potentia actiua fine & exceſſu quodam definitur, in quem poteſt. Vt ſi virtus poteſt aliquid mouere per ſtadia centū, aut leuare pondus, ſemper ad plurimum dicimus, vt talenta leuare centum, aut per ſtadia ambulare centum; ſed virtus concoctrix eſt actiua. Igitur per exceſſum alimenti, in quod poteſt agere, debet definiri. Quapropter ſicut non dicimus actionem illius, qui poteſt leuare centum, aut per ſtadia peragrare centum, eſſe læſam. Si non poßit leuare centum & decem, vel peragrare per ſtadia centum & decem, ſic etiam nullus debet aſſerere actionem ventriculi eſſe læſam Si illius concoctrix facultas non poßit exuperans alimentum concoquere: quoniam hæc ſicut nec vlla alia facultas poteſt in quodcunq; ; ſed in obiectum determinatum ſecundum certam quantitatem, & qualitatē. quod & noſſe & definire ad Medicum haud inutiliter pertinet, vt ſcribit Galenus Si enim humani ventriculi officium eſſet acinos tranſmutare, accuſaremus

lib.1. de cœlo & mundo t.116.& 117.

primo de loc. affec.cap.4.

ob hoc ventriculi corpus, ipsumq; vitiatum esse putemus, vbi quis eos integros per aluum deiecerit. Cum vero id sui muneris non sit, sicut nec exuperans alimentum concoquere; sed acinorum essentiæ, & exuperanti copiæ alimenti accidat, vt concoqui nequeant, haud ab re dicemus ventriculi corpus naturaliter se habere, & necessario actionem eius non esse læsam. Præter hoc etiam quod apud Medicos nomine causæ præcipue intelligitur de causa efficiente; at alimentum non efficientis sed materialis causæ rationem obtinet. Quapropter constat Aduersarium non parum in hac sua ratione à veritate deuiare.

Quemadmodum etiam quum existimat ad Galenum sequi priores actiones, quæ sequentes corrumpunt, morbos esse necnon dolorem, colorem tunicæ corneæ, & reliqua in ratione dicta: quoniam non aduertit Galenum concedere sæpenumero vnum symptoma ad alterum sequi. Quapropter non mirum est si vitiata concoctio sit causa vitiatæ nutritionis: quarum tamen læsarum actionum causam concedit esse morbum, hoc est constitutionem præter naturam. Neq; etiam negat aliquod symptoma interdū subire

in lib. de sym pt. diff. cap. 4.

in lib. de mor. diff. cap 12.

ſubire rationem morbi quum ad tantam magnitudinem peruenerit, vt actionẽ impediat. ſicut dolor, nec non & omnes qualitates ſecundæ, quibus ſecundum naturam diſpoſitis actiones aliquæ perficiuntur: veluti color in oculis, qui licet eorum temperaturam ſequatur, cauſam tamen viſionis eſſe voluit virtute temperamenti. ſicut etiam durities oßium, & aliæ id genus qualitates dictæ; quæ vbi vitiatæ fuerint, lædentes aliquam actionem, ad morbos in intemperie referri aſſeruit. Quemadmodum de colore inſtrumenti viſus loquens ita ſcriptum reliquit. At purum ita perlucidumq; eſſe non poſſet ſine eo, quod nũc obtinet, temperamento: quippe oſtenſum eſt, vnam quamq; rerum talem eſſe, qualis eſt propter calidi, frigidi, humidi, & ſicci temperamentum; eoq; fit vt ſiquid horum magnopere immutatum ſit, aut plane non videbit, aut male videbit animal. Excipiuntur tamen affectus præter naturam in raritate & denſitate, aſperitate, & lenitate conſiſtentes, qui (vt author eſt Galenus) ad morbos in conformatione reducendi ſunt.

lib.pri. de vſu partium cap.9

in lib. de ſym. diff. cap.6.

in lib. prim. de mor. cur. cap.6

in lib. de morborum differẽtiis cap.7.

Sed altera ratio, qua conatur probare morbum nõ definiri

definiri per læsionem actionum quòd multatum partium actio destruatur: quarum tamen substantia integra & sana manet, vt Galenus dicebat, licet sit dialectica difficultas, & ad vtranq; partem probabilis, atq; ob id medico inutilis, vt ipsemet censet, nihilominus eam soluere non erit omnino inutile perquirenti naturas rerum.

Lib. 1. de loc. affect. cap. 6. lib. 1. de loc aff. cap. 1. & 6. & lib. 3. cap. 1.

Dico itaq; ex Galeni sententia, quòd actio partis instrumentariæ trifariam potest lædi, vel quia pars similaris, quæ ponitur prima actionis causa, læditur, vel aliqua pars ex eis, quæ vsum aliquem præstant, vel quia facultas offenditur. Primis quidem duobus modis non læditur functio, nisi quia pars instrumentaria læsa est: Sed tertio modo dicta functio impediri potest affecto membro principali, vel orto à principali. veluti cerebro, vel neruo affecto, parte instrumentaria illæsa permanente: eo quia functio, quæ impeditur, non est propria partis instrumentariæ; sed membri vim aut materiam mandantis, hoc est cerebri, cui partes omnes subseruientes in sensu & motu dicuntur esse instrumenta: quoniam nullum instrumentum primò & per se potest dici author functionis

primo de caus. sypt. cap. 2.

ctionis illius facultatis cuius ponitur instrumentum nec ei functio verè potest adscribi, nisi tanquam instrumento, vt euidens est in eo qui lapidem baculo mouet, quòd motus lapidis non baculo primò adscribitur; sed homini intendenti lapidem mouere, qui si frustretur non actionem baculi nisi vt instrumenti; sed hominis volentis lapidem mouere impediri omnes concedent. Ad eundẽ præcise modum, si sensatio aliqua, aut motio fuerit impedita instrumentarijs partibus sanis existentibus, ea quidem functio impedita non istis partibus erit adscribenda; sed ipsi cerebro veluti auctori & principi quaruncunq; functionum animalium; siquidem cerebrum institutum fuerit à natura (vt Galenus monet) non quia sit sentiendi aut mouendi instrumentum; sed vt sensuum, motuumq; instrumentis vim sentiendi, atq; mouendi præstet. Cuius rei fidem etiam faciunt Plato, Aristoteles, & Themistius asserentes sensationes non in oculis, naribus, auribus, & lingua fieri: Sed per hæc tanquam per instrumenta ad princeps membrũ rerum sensibilium species deferri, & ibidem sensationes omnes causari. Vt recte dixerit etiam Galenus animam

primo de causis symp.cap.8 & 7. de plac. Hyp.& Plat.

in Theæreto

in lib.de som. & vigilia ca.2. lib.2. de anima in enarat. t.138, lib.3.de loc.aff. sec.cap.vltim.

nus animam

nus animam re vera videre & audire haudquaquam negandum est; sed videre oculis & audire auribus. Cum itaq; res ita se habeat, non est mirum si potest perdi actio alicuius partis, eius substantia integra & sana permanēte. veluti liquet in exēplo Galeni de vocis ammißione, & citrum resolutione illius, qui ex equo cecidit. & ob id rectè operantur medici applicantes remedia non illis partibus; sed cerebro, aut spinæ dorsi tanquam vicario cerebri. quemadmodum si prædictæ partes, quæ instrumenta dicuntur, fuerint præter naturam affectæ vel per essentiam, vel per consensum, vt vitio harum sensationes, aut motus fieri non poßint primò quidem & per se hæ functiones impeditæ erunt, vt contingit instrumento læso lædi & impediri actionem cuius dicitur instrumentum; siquidem quod primò & per se instrumentum existit alicuius facultatis, etiam primò & per se eam producere concedendum sit, & eo læso eandem etiam primò lædi & eisdem remedia non abre apponēda esse. Et ex dictis hactenus apparet quid sit dicendum ad id quod infert consequenter Adversarius. Quòd si morbus diffiniatur per læsionem

ptimo de loc. aff. cap. 6.

actionum

actionum cum per febrem impediatur motus, qui est actio partium instrumentariarum, quòd febris & morbi partium similarium erunt referendi ad instrumentarias partes, sicq; non solum solutio continui, uerum etiam distemperantiæ omnes erunt morbi communes, quod absurdum est: quoniam cum actio partis instrumentariæ poßit lædi vel aliquo morbo ei vt similari accidente, vel vt instrumentario, vt Galeno placet, & morbi partium similarium non referantur ad instrumentarias vt instrumentariæ sunt, nec morbi instrumentorum ad similares poßint referri, quemadmodum Galenus in exemplo de oculo nobis declaratum reliquit. Quotiens inquit cristalinus humor ex intemperie laborat, omnino læditur oculorum functio: cæterum non est eorum, vt organa sunt morbus. At quod hypochyma vocant nullius similarium est morbus: sed oculi totius vt instrumenti. Ob id mirum non est, si per febres motus & aliæ instrumentorum actiones impediantur, & nihilominus morbi ad similares partes referantur & non ad instrumentarias. Atq; sic non sequitur febrem, nec

primo de causis sympt. ca. 2

lib. 2. de mor. cur. cap. 6

aliam intemperantiam debere dici morbum communem ad similares & ad instrumentarias partes; quandoquidem non æquè primò vtrisq; partibus conuenire possit, vt est natura morbi communis; sed primò similaribus, ex accidenti instrumentarijs, vt prætactum est.

Quod vltimo loco adducit contra Galenum, quòd cum morbus non solum actiones lædat; sed etiã alienas qualitates corpori conciliet, & excrementa naturalia, cur potius voluit Galenus morbum definiri per læsionem actionum, quam per alia? Dico Galenum hac ratione motum illud dixisse: quoniam quiuis homo sanum se esse arbitratur cum partium corporis adminiculo munijs ad vitam necessarijs citra noxam fungi potest. At partem, quæ munus suum obire nequit, ægrotam esse putat, eo quòd corporis constitutio principaliter refertur ad operationes est quidem earum causa, & qualis ea fuerit, tales necessariò erunt operationes. Quia igitur medicus indicat aliquem ægrotare, quia videt eum in aliqua aut aliquibus consuetis actionibus impediri, per alienas autem qualitates, aut excrementa mutata non id primùm cogno-

in lib. de mor. diff. cap. 1. & 1. de mor. cur. cap. 5.

mùm cogno-

mum cognoſcit, ſed anteaquam hæc ei innoteſcant, prius per impedimentum in operationibus & decubitum deprehendit eum ægrotare. Ob id cenſet potius morbum debere definiri per læſionem actionũ, quàm per alia. & quamuis per illa interdum exactius cognoſcat certum morbum & determinatum locum affectum, tanquam per ea quæ ſunt magis familiaria & propria: nihilominus, niſi viderit eum impediri in conſuetis operationibus nunquam iudicabit ipſum ægrotare. & ob id dixit Galenus actionis vitium eſſe inſigne quoddam morbi ſymptoma; illa verò familiaria & propria. Ad quod etiam facit, quòd non aliunde, quàm ex læſione operationum deſumit medicus principium morbi, à quo etiam decretorios dies numerare incipit. Et etiam quoniam actionum læſio ſtatim ſemper naſcitur ex morbo non ſic alia ſyptomata, quæ interdum interueniẽte vitio alicuius functionis ex eo dicuntur oriri, veluti Galenus monuit. Quapropter iſtis rationibus conſtanter aſſerendum eſt, morbum debere definiri per læſionem actionum, ſiue per cauſam læſionis earum & nõ per aliud Et hæc pro morbi definitione aſsignata à Gal. dicta ſint intantũ contra Io. Argenteriũ.

cur morb. potius per leſionem functionum definiatur quam per alia ſympto.

lib.1.de mor. cur.cap. 8

Actionis vitium cur inſigne mor. ſymptoma.

in lib.de ſym. diff.cap.6.& 7

SVNT alij qui eam aliter intelligentes asserunt affectum positum in ratione morbi nedum alterationem permanentem significare; sed etiam eam, quæ adhuc in motu existit. & hoc quidem, ut teneant non solum morbum præsentem & qui iam factus est esse verè morbum; sed eum etiam qui in generatione persistit. In quorum albo connumeratur Antonius Maria Bettus præceptor meus amantissimus in sua quæstione impressa de Causa coniuncta morbi, qui motus quibusdam rationibus voluit in morbo fiente, præter id quod factum est & quod futurum est fieri, dari adhuc ipsum fiens distinctum à facto & futuro fieri, ut partes fientis esse dicuntur.

Nũ Morbus fiens verè sit morbus.

Antonii Mariæ Beti opinio

Sed præstat eius rationes adducere ut clarius opinio elucescat, quarum prima est talis. Omnis affectus præter naturam ex Galeni sententia vel est morbus, vel morbi causa, aut symptoma morbi; sed morbus fiens est affectus præter naturam. Igitur erit vel morbus, vel morbi causa, aut morbi symptoma. Nõ quidem causa morbi: quoniam ad causam morbi sequitur morbus; sed ad Morbum fientem nullus

Rationes eiusdem.

in lib. de simpt. diff. cap. 1. & primo metho. cap. 9. & 2 meth. cap. 3.

sequitur

sequitur morbus. Igitur morbus fiens non erit causa morbi. Neq; symptoma morbi: quoniam vel esset actio læsa, vel qualitas mutata, vel exiens mutatum. nullum horum est, vt discurrenti patet, & ipse ostēndit. Igitur per sufficientem partium enumeratio nem morbus fiens erit morbus.

Secunda Omnis intemperies estmorbus, vt Galeno placet; sed morbus fiens, veluti febris fiens, est intemperies. Igitur erit morbus. in lib.de sympt.diff. cap. 5.

Tertia Id cuius est causa est verè Morbus; siquidem morbus dicatur habere causam: sed id quod est in fieri est id cuius est causa. Igitur id quod est in fieri est verè morbus.

Quarta eius ratio ita formari potest. Omnis res similaris protinus ab initio suæ generationis propriam obtinet naturam & essentiam, vt Galenus scriptũ reliquit, licet præ exiguitate interdum lateat sensum vt de gutta cauante lapidem asserit Galenus atq; Aristoteles; Morbus est res similaris. Itaq; ab initio suæ generationis propriam obtinebit essentiam: licet tamen non adeò perfectam, vt in processu postea acquirit; veluti de animali constat quamuis sit dissimilare,

lib.1.de loc.affect.cap.2.

lib.1.de loc. affect. cap. 2.

lib.8.philoso. t. 23.

milare, quod ab initio sui ortus totam essentiam animalis obtinet: in processu tamen pro suis munijs obeundis in dies maiorem perfectionem acquirit, & nihilominus est animal in toto isto tempore, quo eam maiorem perfectionem acquirit. Quapropter etiam morbus fiens erit eademmet ratione verè morbus.

Quinta ratio est. Morbo fienti vt fiens est attribuuntur quatuor tempora. Igitur morbus fiens vt est in fieri & motu erit verè morbus. Valet consequentia eo quòd morbus habet tempora. Quam rationem dicit esse adamantinam, sicut etiam hæc altera quæ est sexta in ordine.

Symptomata sequuntur ipsum morbũ; symptomata sequuntur affectum præter naturam, qui est in fieri & motu, veluti Galenus monet scribens Rigorem, Horrorẽ & reliqua id genus symptomata sequi inæqualem intemperiẽ, quæ est morbus, qui est in fieri et motu. Igitur affectus præter naturam, qui est infieri et motu, erit morbus, modò lædat actiones corporis.

in lib. de inæquali intemperie cap. 6.

Septima & vltima est. omnis affectus præter naturam primò lædens functiones corporis est verè morbus; sed morbus qui est in fieri & motu est affectus

præter

præter naturam primò lædens functiones corporis: quoniam læsio non accidit sine sensatione, nec sensatio sine alteratione; siquidem ex Galeni sententia tamdiu sentiamus quamdiu sumus in alteratione. Igitur affectus qui est in fieri erit vere morbus.

in lib. de inæquali intempcrie cap.6

Confirmatur testimonio Arist. dicentis morbum esse in motu, & sanitatem in quiete, & Galeni met volentis morbum non esse nisi motum præter naturã.

lib. 7. proble. problemate 4. & 7. & lib. 29. pag. 10.

lib. 1. de loc. aff

Hæ sunt rationes, quibus Præceptor suam firmat opinionem, cui intantum fuit addictus vt dixerit omnes recentiores aberrasse aliter sentientes.

Veruntamen quoniam existimo hac opinionem à mente Galeni plurimum recedere, ob id rationes adductas quantumuis apparentes dissoluere conabor, ratus Præceptorem meum amantissimum non ægre laturum, quem tum ob eximiam eruditionem, tum ob singularem in me beneuolentiam & veneror & colo: vt qui non ignoret veritatem esse omnibus præferendam; prius tamen quàm illas dissoluam, ea adducam quæ Galeni mentem astruere & confirmare videntur. nempe morbum vel affectum permanentem esse rem.

Et primò

in lib. de sym pt. diff. cap. 1.
Morbum esse rem permanētem

Et primò quidem quoniam Galenus asserit morbum esse constitutionem præter naturam, ut prætactum fuit, atquì constitutio est res permanens in corpore; quare & morbus erit res permanens.

vbi supra.

Tum quia morbus est affectus: at affectus est alteratio permanens in re, quæ perpessa est. quare & morbus erit alteratio permanens.

lib. 2. de mor. cut. cap. 3.

Tum quia scriptum reliquit quòd sanitas & mor-
" *bus & quæcunq; symptomatum, causarumq; affe-*
" *ctus vel habitus sunt ex permanentium constan-*
" *tiumq; numero sunt. Et rursus dixit. Quòd enim*

vbi supra in calce libri

non modò propria morbi notio sit; sed etiam res ali-
" *qua subiecta, quæ aliquam appellationem sit sortita,*
" *satisfaciant ad præsens quæ hactenus sunt dicta &*
quæ sequuntur.

lib. xi. de mor. cur. cap. 12.

Et alibi expreßis verbis dixit. Quum eorum quæ
" *præter naturam sunt duplex prima differentia sit,*
" *alijs per se subsistentibus; alijs in ipso (vt sic dicam)*
" *fieri essentiam suam habentibus, ac vmbræ ritu af-*
" *fectus comitantibus. Sanatio quidem affectuum ipso-*
" *rum est sublatio; hanc verò symptomatum amotio*
" *sequitur. Et quibusdam interpositis subdit. affectus*

qui ex

qui ex ſubſtitentium numero eſt vnus, contraria poſtulat remedia.

Tum quia voluit morbum eſſe cauſam ſymptomatũ; at cauſa neceſſariò ſubſiſtit, alioquin non ageret, ſiquidem non eſſet. quare & morbus ſubſiſtet. in lib. de ſym pt. cauſis ca. 5

Tum etiam quia voluit à morbo indicationes curatiuas deſumi; at ab eo qui non exiſtit nihil poteſt deſumi: quoniam à nullo eorum, dicebat Galenus, quæ adhuc non permanent ſumitur indicatio curatiua. Ideoq́ morbus neceſſario ſubſiſtet. lib. 4. de mor. cur. cap. 3. con pre.

Tum etiã quia voluit morbum cognoſci per propria ſigna; cognitio eſt rei ſubſiſtentis. quare morbus erit res in corpore ſubſiſtens.

Quòd modò morbus, qui eſt in fieri, non poßit dici, nec eſſe verè morbus ex Galeni ſententia, oſtenditur; ſiquidem velit morbum, qui eſt in generatione, eſſe vel eum qui ſimpliciter eſt in generatione, & cuius nihil adhuc eſt factum, vel eſſe eum cuius pars iam genita eſt, & pars eſt in gignendo, quorum neuter poteſt verè dici morbus. Morbum vt ē in fieri nõ ēē verè morbum lib. 8. de mor. cur. cap. pri. in fine.

Non quidem primus qui eſt ſimpliciter fiens: quoniam quicquid eſt in motu eſt in actu imperfecto; at

morbus fiens est in motu. quare erit in actu imperfecto; sed omne quod est in actu imperfecto non potest verè dici esse tale. Igitur morbus fiens, qui est in actu imperfecto, non erit verè morbus.

Confirmatur hæc ratio: quoniam quicquid est in motu est in via ad perfectionem; Morbus fiens est in motu. Ob id morbus fiens erit in via ad perfectionem; sed quod est in via ad perfectionem non est perfectum, nec verè tale. Quapropter nec morbus fiens erit verus & perfectus morbus:

Neq; morbus fiens secũdum quid, cuius pars iam generata est & pars est in generatione, potest simpliciter & verè dici morbus, nisi meritò partis iam factæ, cuius gratia insunt ei omnes veri morbi conditiones, quæ supra positæ fuerunt. Nihilominus quoniam placet Præceptori quòd iste morbus fiens sit quodam Tertium distinctum à parte iam facta & à futura fieri, & vt sic sit verus morbus, ob id contra hoc suum placitum instabo, probando hunc morbum, vt est in fieri & motu, non esse distinctum ab eo quod futurum est fieri de ipso: atq; sic verum morbum non esse.

Omne

Omne quod est in motu, ut inquiunt Philosophi, vel est in motu accepto pro forma fluente, hoc est pro re diminuta & imperfecta, quæ continue tendit in perfectionem, vel pro fluxu formæ, siue pro via qua res in perfectionem tendit; sed morbus fiens, ut distinguitur à futuro fieri, est in motu secundum opinionem præceptoris. quare erit in motu accepto vel pro forma fluente, vel pro fluxu formæ; At neutrũ dici potest, stante eius opinione. Non quidem accepto motu pro forma fluente: quoniam motus taliter acceptus est idem quod forma diminuta & imperfecta; quæ est in potentia ut perficiatur, & quæ successiue per partem post partem in perfectionem tẽdit; siquidem sit in potentia coniuncta actui, ut successiue perfectionem & intensionem suscipiat. Igitur morbus fiens, ut est in motu taliter accepto, erit morbus diminutus & imperfectus, existens in potentia actui coniuncta, ut successiuè per partem post partẽ perficiatur & intendatur. & cum hic morbus hoc modo acceptus non sit aliud, quàm id quod futurum est fieri de ipso; quod quidem successiuè est in potentia coniuncta actui, sequitur quod morbus fiens, ut

Morbum qui est in fieri nõ esse tertiũ qd distinctũ à re facta & futuro fieri
lib. 3. phi. in enar. t. 4. & lib. 5. in enaratione t. 9.

est in generatione, non erit distinctus ab eo quod futurum est fieri de ipso. Neq; accepto motu pro fluxu formæ, seu pro uia qua forma tẽdit in perfectionem: quoniam sequetur morbum fientem non esse morbum contra opinionem; siquidem via in perfectionem sit alia à perfectione, in quam res ipsa tendit, & alia à re mota; sed morbus fiens taliter acceptus est in via, qua tendit in perfectionem. Igitur morbus fiens erit aliud à perfectione, & essentia morbi. non igitur erit morbus.

Secundò omne quod intercidit inter actum perfectum & puram potentiam est secundum quid in actu & secundum quid in potentia, & nihil præter ista continet; siquidem medium per participationem nihil includat præter ea, quibus participat secundum rei naturam; sed morbus fiens, de quo fit sermo, intercidit inter morbum, qui actu totam suam perfectionem & intensionem habet, & eum qui est in pura potentia. quapropter hic morbus partim erit in actu, & partim in potentia: in actu quidem meritò eius quod factum est, & partim in potentia respectu eius quod futurum est fieri, & nihil præter hæc duo secun

duo secundum rem continebit. Non itaq; fiens erit Tertium quid dictinctum à facto & futuro fieri, quatenus hæc duo ipsum integrant & constituunt.

Tertio omne quod est in potentia actui coniuncta est in motu; omne quod est futurum fieri de fiente est in potentia actui coniuncta. Igitur omne quod est futurum fieri de fiente erit in motu. quare fiens quod est in motu non erit distinctum ab eo quod futurum est fieri. Et ob id in fiente non erunt nisi factum & futurum fieri ipsum integrantia, & non aliud tertiū ab eis distinctum, veluti præceptor imaginatur.

Quarto hac opinione data sequeretur Medicum debere considerare quod indiuisibile est & momentaneum, & quod omnem eius considerationem subterfugit, contra Galeni sententiam. quandoquidem omnia quæ fiunt & sunt de numero permanentium habeant partes correspondentes partibus temporis in quo fiunt; sed morbus est de numero permanentium. quapropter quum hic erit fiens partes habebit correspondentes partibus temporis; sed de tempore non consideratur nisi pars præterita, & pars futura, atq; ipsum nunc, vel instans prædictas partes temporis simul

in lib.ar.med. cap. 8. & pri. de san.tuen.

simul uniens. ob id etiam morbus fiens partes illis correspondentes habebit; partem nimirum factam, quæ parti præteritæ temporis correspondebit, & partem futuram fieri correspondentem futuro tempori, atq; aliquod indiuisibile proportionatum ipsi nunc de ipso tempore, quod aliud esse non potest, quàm illud fiens, quod opinio ponit distinctum à facto & futuro fieri de fiente: quod cum sit indiuisibile, & illud Medicus consideret, sequetur Medicum considerare quod indiuisibile existit. Quia cum non detur pars temporis, quæ dicatur præsens, & quæ habeat latitudinem; sed continuò fugiat & labatur, & instans consideretur quod est indiuisibile, & successiue illud generetur quod est in fieri, utiq; ut tempus elabitur, sic semper res in actum deducitur, & semper erit aßignare partem iam genitam & factam correspondentem tempori succeßiue labenti. & cum non poßit aßignari aliquod proportionatum ipsi nunc nisi quodam indiuisibile & imaginarium, non ab re sequetur Medicum illud considerare debere, quod pro absurdo relinquitur.

Quinto quæcunq; ab inuicem differunt vel re aut ratione distinguũtur; sed morbus qui est in generatione differt ab eo quod iam factum est & quod est futurum fieri de ipso, veluti Præceptor asserit. quare vel re vel ratione distinguetur: sed neutrum dici potest. Nõ quidem re: quoniam totum integrale secundum rem non est aliud, quàm suæ partes simul iunctæ, vt sentiunt qui rectè philosophantur; sed fiens, de quo fit sermo, est totum integrale constans ex facto & futuro fieri vt partibus ipsum integrantibus. quapropter re non erit seiunctum ab eis. Neq; etiam ratione: quoniam vel ratio fientis est quòd sit in fieri & in successione ac motu: quæ cum sit eadem eius quod futurum est fieri, non erit fiens diuersum ab eo quod futurum est fieri de fiente. Quod enim est in gignendo & alterando est in successione & motu, & futurum fieri de fiente est in gignendo & alterando, auctore Galeno, ob id quod est futurum fieri de fiente erit in successione & motu, vel eius ratio est, vt sit affectus præter naturam primò lædens functiones corporis; siquidem fiat sermo de morbo fiente. quæ ratio, quoniam est eadem cum eo quod factum est de ipso fiente,

lib. 8. de mor. cur. cap. 1. & lib. 13. cap. 2.

fiente, sequitur quod morbus fiens non erit tertium distinctum à facto & futuro fieri simul vnitis.

Postremo adduco rationem in confirmationem quòd morbus sit res permanens, & qui est in fieri non debeat dici morbus quoniam. Omnis affectus præter naturam, qui sola curatione remoueri debet, est verè & propriè morbus; siquidem curatio, quæ non est aliud quàm sanatio, sit ex Galeni sentẽtia præsentis in corpore vitiosi affectus in naturalem habitum mutatio, quam symptomatum amotio sequitur; sed omnis affectus permanens primò lædens functiones corporis est affectus præter naturam, qui sola curatione remoueri potest. quarè omnis talis affectus erit verè & propriè morbus: factorum enim & permanentium, veluti asserebat Galenus, est propriè curatio. & ob id inferebat propriam & veram curatione esse Diariarum & Hecticarum febrium: Putridarum verò habere prophylacticẽ medicinæ partem sibi adiunctam: quoniam harum febrium putridarum semper est aliquid accensum & inflammatum, & aliquid in accendi & inflammari, & merito eius quod iam accensum est, eis conuenit curatio;

lib. 9. de mor. cur. cap. 15. & lib. XI. ca. 12

lib. 2. aph. in enara. aph. 22. 4. de mor. cur. cap. 3. & 4. & lib 8. de mor. cur. ca. 1. & lib. X. cum pr. & lib XI. cap. 2. & lib. 13. cap. 2. 6. lib. XI. de mor. cur. cap. 2

sed merito

ſed merito eius quod eſt in accendi conuenit Prophylactice, quæ cauſam adimit quæ febrem excitat, & ob id dicit Galenus quòd curatio harum febrium Prophylacticen ſibi adiunxit. Ex quibus inferendum eſt quòd morbus fiens, veluti febris putrida, nõ eſt verè morbus, niſi meritò eius quod iam factum eſt & accenſum, cuius gratia ei conuenit vera & propria curatio; meritò verò eius quod eſt in fieri & in accendi non morbus, ſed pathos dici debet; ſiquidem illi conueniat eius definitio, quæ eſt, quemadmodum Galenus teſtatum reliquit, quòd pathos eſt motus circa materiam ab efficiente procedens, cui cõuenit præcuſtodia: quæ vt aſſerebat Galenus impropriè & abuſiue dicitur curatio, cum dixit. Eſt igitur & quæ præcuſtodia dicitur curatio quodammodo: quoniam, vt illemet ſcriptum reliquit, ſimilis ratio eſt inſtantis diſpoſitionis cauendæ, et eius quæ iam occupauit ſummouendæ.

lib. de ſympt. diff. cap. 1. Pathos quid. Affectum fientem eẽ pathos

præcuſtodia ẽ impropriè curatio.

lib. 1. de diff. feb cap. 4. lib. 3 de ſan. tuen. circa mediũ & l. 4. ad prin.

Cæterum cum mihi contingeret, vt ſignificarem Præceptori meo quid de eius opinione ſentirem in propoſita difficultate, ſcripſi ingenuè quid pro veritate ſentiebam. Et in reprobando morbum fientem non

esse verè morbum, adduxi hanc rationem vltimò dictam, quam ipse conatur euadere: quæ tamen in sua quæstione impressa (siquidem sibi placuerit eam in uulgare) fuit prætermissa.

Conatur itaq; euadere rationem ita respondendo, quòd verum est quòd omnis affectus præter naturã, qui sola curatione remoueri debet, est verè et propriè morbus, si intelligatur de morbo facto: quoniam hic est, qui sola curatione indiget vt remoueatur; sed morbo fienti conuenit quidem curatio; verum non sola, sed vna cum prophylactice, cuius est quod futurum est prohibere per remotionem causæ, quæ remotio causæ, pars artis curatricis nominatur ex Galeni sententia, vt legenti patet. Et hoc quidem quoniam ablatio causæ est curatio fientis, & cum hoc prohibitio futuri fieri ne fiat, vt voluit Galenus. Quapropter hæc curatio adiunctam habet Prophylacticẽ, quod non tollit quin morbus fiens sit verè morbus.

lib. xi. de mor. cur. cap. 2. lib. 13. cap. 2. & clarius 2. sectiõe aph. 22.

lib. 4. meth. cap. 3. & lib. 13 cap. 2.

Sed quoniam hæc Præceptoris responsio fundatur super hoc, quòd ablatio causæ sit simul & semel curatio, atq; præseruatio: curatio quidem, vt ipse

inquit

inquit, fientis morbi; præseruatio vero futuri fieri. Quod quia falsum esse existimo, ob id contra ipsum instabo.

Et primò quidem quoniam omnes affectus re, & ratione distincti distinctas quoq; secundum rem, & rationem medici functiones exposcunt: at secundum Præceptorem morbus fiens, & qui futurus est sunt affectus præter naturam re, & ratione distincti: siquidem velit morbum, vt fiens est, esse verum morbum, & functiones corporis lædere; qui verò futurus est, nequaquam. Igitur opus est etiam vt functiones Medici, quæ his accommodantur, sint re & ratione seiunctæ; sed remotio causæ est vna solummodo Medici operatio. Igitur vni etiam affectui solummodo accommodabitur. vel itaq; fienti morbo, vel alteri, qui futurus est fieri, & vtri horum adhibebitur, relinquitur alterius morbi propriam salubrem causam desiderandam esse

Ablat'onē causæ non esse curationē & præseruationē simul sed duntaxat præseruationem.

Neq; vim habet, si diceret remotionem causæ subire rationem duarum operationum Medici, licet sit vna secundum rem: nimirum curationis fientis, & præseruationis futuri fieri. Quoniam dixi ego quòd

ſicut illi affectus ſunt re diſtincti, veluti magnus cor poris lapſus & mediocris re diſtinguuntur, quòd hic ſecundum naturam: quoniam non extra latitudinem ſanitatis; ille verò præter naturam: quoniam morbus eſt, Sic etiam operatio Medici, quæ debet magnũ corporis lapſum abijcere, re diſtincta eſſe debet, & non ſolummodo ratione ab alia operatione Medici, quæ mediocrem lapſum tollit, & à futuro fieri præſeruat. Remotio itaq; cauſæ non poterit ſubire rationem duarum ſalubrium cauſarum affectuum con tradiſtinctorum; ſed vt vnica eſt medici operatio, ſic etiam per ſe niſi vni affectui applicari poterit.

Tum etiam quoniam quot ſunt indicationes curatiuæ alicuius morbi, tot etiam Medicus debet eligere cau ſas ſalubris pro integra & perfecta illius curatione; ſed indicationes curatiuæ morbi fientis ſunt in vniuer ſum duæ, vt Galeno placet, vna quæ eius quod factum eſt tollit, & altera eius quod futurum eſt fieri præcauet. quare duas etiam in vniuerſum debet Medicus cauſas ſalubres eligere pro integra eius curatione. Eſto enim inquit Galenus, ſi ita contingerit, in humoribus putreſcentibus accendi febrem, qui hanc

in lib. art. medi. cap. 89. & clarius lib. XI. de morb. cur. cap. X.

curare

curare volet, putredinem inhibeat necesse est. & sic duæ indicationes se exibent, vna à febre, & altera à putredine. atq; à febre rursus duæ, vna vt scilicet portio febris, quæ iam accensa est percuretur, altera vt quæ febris est in generatione inhibeatur. à putredine quoq; duæ aliæ sumuntur, vna vt quod putredinis iam factum est sanetur, & altera quod in generatione est adhuc prohibeatur. Porrò quod in generatione est, id persspiratio impedita facit. Itaq; ab hac quoq; duæ aliæ indicationes nascentur, Tum vt quod retentum est & prohibitum traspirari vacuetur, Tum quod retinendum est prohibeatur retineri. Sane prohibebitur retineri obstructione sublata, à qua rursus duæ sumũtur indicationes, vna vt quod iam occupauit & obstruxit sanandum est, altera vt quicquid obstructionis futurum est propulsetur. Ex hoc nimirum discursu & resolutiua methodo tradita à Galeno euidens est duas solummodo esse curatiuas indicationes morborum fientium, nempè facti, & futuri fieri, & nullam tertiam indicationem dari, quæ sit morbi fientis distincti à facto & futuro fieri ipsum integrantibus; siquidem plures recensens affe-

ctus præter

ctus præter naturam, qui sunt causa febris putridæ, et declarans indicationes curatiuas eorum atq; ipsius febris, nullam talem indicationem tertiam ponat. Quapropter censendum est mentē Galeni fuisse in morbis fientibus duas solummodo inueniri curatiuas indicationes, atq; duas solummodo causarum salubrium differentias re & ratione differentium, vna quarum inhibeat quod futurum est fieri ne fiat, & altera quæ tollat quod iam factum est. Ex quibus sequitur quòd remotio causæ non erit curatio; sed duntaxat prouisio ne fiat quod futurum est fieri.

Tertia ratio ad idem est, Illud quod Medicus in methodo curatiua principaliter intendit remouere est solummodo morbus; sed quod factum est principaliter intēdit Medicus in methodo curatiua remouere. Quare quod factum est erit solummodo morbus. Quapropter & huic solūmodo conueniet curatio, & non ipsi fienti, vt imaginatur Præceptor. Quæ ratio sumitur ex Galeno, cū dixit in auxiliorum inueniendorum ordine vltimam esse eam indicationem, quæ sumitur ab eo quod ipsius febris est iam accensum: quamuis alia ratione sit prima, nempe ratione inten-

lib.xi de mor. cur.cap.x.

tionis

tionis, ut expresse dixit. Quod cum ita sit, absurdū est utiq; dicere quòd remotio causæ sit eius morbi, qui est in fieri, curatio; siquidem hæc non sit primò intenta à Medico in curatione morbi fientis, præter hoc quòd ille morbus fiens non detur, ut Præceptor opinatur. Confirmatur hæc ratio quòd indicatio curatiua sumitur ab eo quod præter naturam subest in corpore, ut auctor est Galenus, & supra monitum fuit; morbus fiens, ut alius est ab eo quod factum est, & quod futurum est fieri, non subest in corpore. quare nulla indicatio curatiua poterit ab eo sumi.

lib.xi.de mor. cur.cap. 2

lib.4.de mor. cur.cap. 3. circa primum.

Quartò quod ordinatur in curationem morbi non est illius curatio; sed remotio causæ ordinatur in curationem morbi, ut ex Galeno liquet; siquidem velit omnia præcedentia remotionem eius, quod de febre est accensum, esse præparatoria ad illius curationem. quarè remotio causæ non erit curatio morbi.

Quintò omnis intemperies per se tollitur cum ijs quæ alterant & in contrarium statum corpus permutant; sed morbus fiens, ut gratia sermonis, febris fiens est intemperies. Igitur per se curabitur cum ijs quæ alterant & in contrarium statum corpus permutant; sed

tant; sed remotio causæ non est salubris causa corpus alterans; quinimo euacuans & ex corpore educens quodcunq; præter naturam in eo reperitur aptum excitare febrem. hæc itaq; non erit curatio morbi fientis. Ad quod animaduertens Galenus scriptum reliquit manifestum esse quòd earum, quæ intemperaturam efficiũt, causarum curatio fit per euacuationem; siquidem ipsæ intẽperaturæ sola alteratione sanãtur.

in lib.ar.med. cap.89.in fine

Idem comprobatur testimonio Galeni sic ad verbum scribentis. Hîc verò prius distinguamus quæ omnes ferè Medici prætermittunt, alias quidem esse salubres causas eius temperaturæ, quæ iam facta est, alias autem illius quæ & adhuc fit; sicut etiã alias eius quæ futura est. Huius itaq; postremæ hæ quidẽ in præseruatiua artis parte ponuntur, hæ verò in salubri; primæ autem inter omnes in curatiua tantum modo, sed eius quam mediam inter vtranq; locauimus in præseruatiua & curatiua: iam enim factam atq; existentem ægritudinem curare oportet; sed quæ nõdum quidem adest, at futura est, prohibendum est ne fiat, ab ea quæ in corpore est dispositione, & quæ sequuntur. Ex quibus verbis est euidens Galenum

in lib.ar.med. cap. 88.

velle pro

velle pro curatione morbi fientis Medicum debere morbum iam factum curare; futurum verò prohibere ne fiat; prohibebit autem remouendo eam dispositionem quæ est in corpore, quæ causa antecedens dicitur. Quapropter vult Galenus remotionem causæ esse præseruationem, & non curationem; & quòd curatiua pars Medicinæ solummodo conueniat ei quod factum est de fiente; præseruatiua verò ei quod futurum est fieri.

Idem apertè voluit cum dixit. Itaq; hic quoq; Iuniores Medici de nominibus contendere se non intelligunt; & quæ sequuntur: quæ studio breuitatis libenter prætermitto. Ex quorum serie verborum clarißimè monstrat Galenus amotionem causæ eße præseruationem, & præseruationem per abusionem curationem dici, & ob id amotionem causæ abusiuè & impropriè curationem vocari. Quemadmodum etiam idem asseruit in hunc modum scribens. Ergo in Diarijs febribus simplex quidam est in corpore præter naturam affectus, vt potè causis, quæ primum eas excitarunt, iam ademptis. In quibus vero causa, quæ eas accendit, adhuc manet, in ijs nec

lib.4.de mor. cur.cap.3.

lib.x. de mor. cur. vt primũ

affectus simplex, nec sanatio: siquidem quod febris
" iam receptum est in corpore, id ex propria ipsius cu
" randi indicatione discutere oportet, quod adhuc est
" futurum id propulsare, ac ne fiat vetare, vetabitur
" si quæ id excitat causa prorsus sit summota. In qui-
" bus verbis clarissimè monstrat sicut etiam in prius ci
tatis, morbum fientem esse affectum compositum &
non simplicem, atq; eius sanationem esse compositã.
Et quomodo ille sit affectus compositus, eiusq; sana
tio composita declarauit, insinuans eum morbum ex
facto & futuro fieri componi, & sanationem ex cu-
ratione eius quod iam factum est, & inhibitione
eius quod futurum est fieri ne fiat per remotionem
causæ quapropter vult remotionem causæ esse solum-
modo præuisionem, sicut remotionem eius quod fa-
ctum est esse curationem.

in lib. xi. de mor.cur.cap.2 & lib.13. cap.2

Quod etiam alibi voluisse sciunt, qui eum lectita
runt: à cuius verborum aßignatione supersedeo, ne
pluries idem repetere videar; qui tamen ea legere vo
luerit cognoscet Galenum voluisse veram & pro-
priè dictam curationem conuenire morbo iam facto
& permanenti: eam verò, quæ adiunctam Pro-

philactice

phylacticen habet conuenire morbo fienti eo quidem modo, quo prius dixi ex eiusdem sententia, ut silicet ei quod factum est de morbo fiente cōueniat curatio; ei vero quod futurum est fieri præseruatio per remotionem causæ: non quidem quòd remotio causæ sit simul curatio & præseruatio: remotio verò eius quod factum est solummodo curatio, quo modo dicit Galenus esse mixtum genus, ut euidenter apparet ex verbis suis. Et ex his quæ hactenus dicta sunt, euidenter constat quòd euasio Præceptoris nulla est: quandoquidem morbo fienti sub ea ratione qua est in fieri & motu non conueniat curatio; sed præseruatio solummodo. nisi hanc esse curationem dicere velimus, quod verum erit sumpto nomine curationis cōmuniter atq; impropriè, pro remotione cuiuscunq; rei præternaturam, quo modo remotio causæ atq; symptomatis curatio dici poterit. Verum accepto nomine curationis in propria significatione ut videlicet remotionē morbi significat, quam Gal. deffiniuit esse præsentis vitiosi affectus in corpore in naturalem habitum mutationē. (lib. 9. de mor. cur. cap. 15.) Vt sic affectui præternaturam, qui lædit functiones corporis, solummodo conuenit: qui sanè alius nō est,

quàm qui permanet et in corpore subsistit, vel fuerit pars fientis, vel non. quapropter quum dixi quòd omnis affectus præternaturam, qui per solam curationem remoueri debet, est verè et propriè morbus, nulla est opus limitatione ad affectum & morbum permanentem; siquidem nulli alteri conueniat, quàm affectui permanenti, & ob id illud dictum absolutè nulla addita limitatione & conditione erit semper verum. Quod etiam euidentissime potest hac ratione comprobari: quoniam omnis vera & propriè dicta curatio solummodo conuenit ipsi morbo; at omni affectui præternaturam, qui per solam curationem remouetur, cõuenit vera & propriè dicta curatio ex Galeni sententia, quum dixit. Diariàrum quidem febrium & hecticarum vera et propria curatio est; siquidem hæ febres per solam curationẽ remoueantur: quæ quidem sola curatio est vera & propriè dicta curatio. ideoq; omnis affectus præternaturam, qui per solam curationem remouetur; erit solummodo morbus. & quoniam hic affectus, qui per solam curationem remouetur est permanens, morbus est huiusmodi affectus præternaturam, qui per solam curationem

tionem remoueri potest, ob id necessario sequitur quòd morbus erit res permanens & cõstans in corpore, vel fuerit pars fientis, vel non; sed simpliciter factus. Et quum Præceptor citat loca ex Galeno in cõfirmationem suæ responsionis, quòd remotio causæ sit curatio, quæ conuenit morbo fienti vnà cum prophylactice. Dico bona eius pace, falsò talia ex Galeno excerpere: quoniam nullibi asseruit Galenus remotionem causæ esse simul curationem & præuisionẽ, nisi abutatur nomine curationis. Nam in curatiua methodo ne verbum habet de hoc; sed expresse vult remotionem causæ esse præuisionem. Et quum dixit remotionem causæ esse partem artis curatricem id communiter accepit. lib.4.cap.3.& lib.13.cap.2

Et ex his cum dixit remotionem causæ esse partem artis curatricem, id communiter accepitpro remotione cuiuscunq; rei præternaturam. In qua significatione dixit etiam curationem causarum efficientium morbos fieri per euacuationem, & curationem dici non solum ipsorum morborum; sed eorum etiam quæ morbos faciunt: vt in propatulo falsum sit illud quod dixit Præceptor in tertio suo insultu

Curationẽ ẽt esse ipsarũ causarũ & q̃uo.

in arte med. cap. 89. in fine & 2. sect. aph. 22. lib.2. de natura humana co. t. 1.

pro

pro reprobatione eorum quæ adduxi contra ſuam opinionem, quòd nemo tam craſſæ mineruæ eſt qui audeat proferre curationem conuenire ipſi cauſæ, cum Galenus id aperte dicat in locis citatis, & Præceptor met idem etiam dicere cogatur, cum velit remotionem cauſæ eſſe curationem; ſiquidem cuius eſt remotio eiuſdem ſit etiam curatio; & quoniam ipſius cauſæ eſt remotio, quarè eiuſdem etiam erit curatio. Intellexit tamen Galenus vbiq; cum dixit remotionem cauſæ eſſe curationem, quòd communiter & abuſiuè dicatur curatio; ſiquidem, vt ipſe teſtatur, præcuſtodia quodammodo curatio dici poßit.

lib.1.de feb.d. cap.4.

Sed reſpondet Præceptor, quòd cum dixit Galenus præcuſtodiam quodammodo curationem dici, intellexit de prophylactice parte Medicinæ, in qua ex ipſa cauſa non ſenſibiliter gignitur morbus, ſed futurus eſt; ſiquidem duplex ſit prophylacticæ, vna ſub qua iam ſenſibiliter ex ipſa cauſa morbus gignitur, alia in qua eſt futurus ex Galeni ſententia. De hac itaq; verificatur quòd eſt abuſiuè curatio: quoniam per remotionem cauſæ remouetur ſolummodo morbus qui futurus eſt; ſed de altera non: quoniam ea

Prophylactice duplex.

xi.de mor.cur. cap.2.

eſt vera

est vera curatio; siquidem per remotionem causæ remouetur morbus qui fit, & præseruatur à futuro fieri: nam in ea est præuisio curationi adiuncta; in altera verò est sola prouisio.

Atq; simili responsione conatur euadere auctoritates adductas, quòd omnes concludunt ablationem causæ respectu eius quod futurum est fieri abusiuè curationem vocari; propriè verò præseruationem: sed meritò eius affectus qui est in fieri esse veram & salubrem causam curatiuam. Satisfaciendo tamen primæ auctoritati dicit eam suæ opinioni plurimum fauere, quum velit Galenus eo in loco salubres causas morbi fientis in præseruatiua & curatiua artis parte locari, eo quòd remotio causæ, quia ab eo quod futurum est præseruat, in præseruatiua parte ponatur. Et quia eadem morbum qui est in fieri tollit, in curatiua locetur, atq; sic composita est, vt ipse inquit curatio morbi fientis ex curatione & præseruatione. Quod voluit Galenus, cum asserit alias quidem esse causas salubres eius temperaturæ, quæ iam facta est; alias autem illius, quæ adhuc fit, sicut etiam alias eius quæ futura est. Huius itaq; postre-

ex lib. 4. x. xi. & 13. de mor. cur.

ex lib. Ar. medic. cap. 88

mæ

" mæ hæ quidem in præseruatiua artis parte conti-
" nentur; heæ verò scilicet duæ in salubri, factæ vide
" licet & fientis; primæ autem scilicet factæ inter om
" nes in curatione tantummodo; sed eius quam mediã
" inter vtranq; locauimus, scilicet fientis, in præseruati
" ua & curatiua.

Idem duplici ratione confirmat: prima quidem quòd remotio causæ est causa salubris alicuius morbi, vel igitur facti, vel futuri vel fientis; sed non facti: quoniam non semper hic tollitur ad remotionem causæ, & ob id præcipit Galenus prius abscindendã esse causam, deinde ad illam, quæ ab ea causa facta est, ægritudinem, accedendum; neq; futuri, cum talis nõdum actu sit. Igitur erit salubris causa morbi fientis.

in Arte med. cap. 89.

Altera est eius ratio, quam dicit esse Galeni, quæ talis est. Quot sunt causæ salubres, tot sunt morbi eis correspondentes; & quia tres sunt causæ salubres. Quare tres etiam erunt morbi eis correspondentes, videlicet fiens, factus, & futurus. Causa salubris facti est eius remotio; futuri remotio causæ: fientis verò salubris causa est etiam abolitio causæ coniunctæ, quæ simul est curatio eius qui est fiens, & inhibitio

hibitio eius qui futurus est fieri.

Addit quoq; auctoritatem Galeni dicentis. Id, quo tangente afficimur, & quo separato statim cessat affectus, causam esse apud omnes homines in confesso est: sic enim ignem vstulationis, & gladium sectionis causam esse credimus, & quæ sequuntur. In quibus verbis vult Galenus remotionem causæ coniunctæ affectus fientis esse curationem, & salubrem causam illius, vt est in fieri; siquidem remoto igne cesset vstio, quæ est in fieri, & non quod vstum est: & remoto gladio cesset sectio, quæ est in fieri, & non quæ facta est. remotio itaq; causæ erit salubris causa curatiua morbi fientis, vt fiens est, & cum hoc etiã præseruatiua à futuro fieri, atq; sic mista ex curatione & præuisione.

in .1. de loc. af. cap. 2.

Deinceps Præceptor me reprehendit, quòd dixerim omnes auctoritates adductas, quæ suæ opinioni fauere videntur, quòd ablatio causæ sit curatio, verificari de curatione communiter sumpta: quoniam, inquit, contrarium huius fuit per me adductum ex Galeni sententia, cum asserit mistum genus componi ex vera curatione & prouisione. Igitur vera curatio

lib. xi. de mor. cur.

prophylacticen sibi adiunxit, cuius gratia dicitur abusiue curatio.

Additq; causam meæ deceptionis esse, quòd existimem vna cũ Nicolo Florentino remotionem causæ esse curationem facti, & non fientis: quod tamen falsum est, cum multotiens post remotionem causæ remaneat affectus permanens, vt testatur Galenus, & nunquam is est in fieri.

Ser.2. tract.1. su.2.cap.3.

lib.1.de loc.af. cap 2.& in ar. med cap.88.

Veruntamen istis per ordinem satisfaciendo Ad id, quod de Prophylactice primò inquit, respondeo quòd quia vtriusq; prophylactice munus est adimere causam, & amotio causæ est curatio communiter sumpta, ob id etiam vtraq; prophylactice quodammodo curatiua pars medicinæ erit. Quod etiam probatur: quoniã quod per participationem intercidit inter aliqua extrema, sapit quoquomodo naturã eorũ: & quia prophylactice intercidit inter salubrem, & curatiuam artis partem teste Galeno: quoniam, vt salubris parua vitia discutit, & curatiua magna, sic etiam prophylactice parua vitia corrigit, si curatiuæ comparetur: qua ratione pars artis salubris quodammodo dici poterit, & magna si ad salubrem referatur,

Præcustodiã cõiter cũ ratione dici & quõ

Prophylactice media inter salubrem & curatiuam.

in lib. ad trasibulũ cap.30.

feratur, quo respectu curatiua quodammodo dicitur, sicut colores intermedij possunt dici esse quodammodo alterum extremum colorem, prout ad hunc, vel illum extremum colorem referuntur. Quare prophylactice erit quodammodo vtriusq; particeps, nempè salubris, & curatiuæ partis Medicinæ: Sed verè altera earum non erit.

Præterea Galenus loquens de ea prophylactice, in qua causa sensibiliter gignit morbum, dicit quòd qui exactè loqui voluerit, non curationem; sed præuisionem eam esse dicet. In quibus locis euidentissimè vult remotionẽ causæ esse solummodo præuisionem, & non curationem, nisi vt præuisio curatio quodammodo dici potest: quoniam remotio cuiuscunq; rei præter naturam curatio communiter sumpta dici potest, & quoniam prophylactice adimit causam facientem morbum, quæ est res præter naturam, ob id pars artis curatrix dici poterit, vt Galenus. vel etiã hac ratione quòd curatrici subseruiat, cuius est solue re morbum: qui, quoniam tolli non potest manente causa, à qua dependet, si causam habuerit, idcirco eam prius demere oportet, deinde ad ægritudinem

lib. 4. de mor. cur. cap. 3. & in aliis supra citatis.

lib. xi. de mor cur. cap. 2.

factam deuenire, atq; sic remotio causæ poterit curatio dici, eo quia curationi subseruit, & prophylactice pars artis curatrix dicetur, quòd ei subministret in remouendo morbum.

Et cum dicit Præceptor quòd hæc prophylactice est verè pars artis curatrix: quoniam in hac remotio causæ non est sola prouisio; sed etiam curatio morbi, qui est in fieri. Dico, bona eius pace, quòd euidenter decipitur: quoniam futurum fieri de fiente non differt ab eo quod est in fieri; siquidem quòd successiuè generatur, & in actum deducitur est id quod est in fieri & motu: sed quòd est futurum fieri coniunctum actui successiue perficitur, & in actum deducitur. quare quod est futurum fieri coniunctum actui est id quod est in fieri & motu, atq; ob id remotio causæ erit solummodo prouisio & non curatio: prouisio quidem, ne id quod est in fieri fiat, et in actum deducatur, vel ne quòd futurum est fieri coniunctum actui ad actum perueniat, quod idem est. quare &c.

Futurum fieri coniunctum actui est idem cũ eoquod est in fieri & motu.

Et per hæc dicta detegitur falsitas suæ responsionis ad auctoritates adductas ex Galeno; siquidem huic innitatur, quòd remotio causæ sit simul curatio,

& præ

& præseruatio. Quod fundamentum cum sit falsum, non est mirum si responsio etiam sit falsa; sed asserit Galenum istud omnino velle, cum dixit. Ac maximè quidem in soluendo morbo intelligitur curatio; sed per abusionem mistum etiam genus, quod tum ex vera curatione, tum prouisione, quam prophylactice pars artis præstat, componitur, & quæ sequuntur. In quibus quidem verbis, dicit Præceptor, Galenum velle remotionem causæ esse genus quodam compositum ex vera curatione respectu morbi fientis, & prophylactice respectu futuri, ratione cuius dicitur abusiuè curatio: quia verè curationi est admixta præseruatiua. lib. xi. de mor. cur. cap. 2.

Sed certè quilibet etiam modicè eruditus in doctrina Galeni potest facile deprehendere hæc omnia aliena esse ab eius mente, & tantum quantum lucem à tenebris distare cernimus. Nam Galenus post illa verba per Præceptorem citata subdit immediatè. Ac Diariarum quidem febrium, & hecticarũ vera & propria curatio. Quæ referuntur ad prius dicta, cum dixit. Atq; in soluendo morbo maximè intelligitur curatio. In quibus verbis voluit cura

tionem

tionem maximè conuenire præsenti affectui in corpore, qualis est febris hectica, & ephymera. Postea superaddit. Earum vero, quæ ex putrescentibus excitantur humoribus, vocata curatio prophylacticen quoq; sibi adiunxit: cuius offitium est causam, quæ morbum creat, adimere. Quæ verba ad prius dicta referuntur, cum dixit. Sed per abusionem etiam mistum genus tum ex vera curatione, tum prouisione. In quibus verbis accipit Galenus nomen curationis in ea significatione, in qua prius accepit; sed id prius accepit, vt morbo iam facto præsenti conuenit, siquidem dixerit Diarijs, & Hecticis propriè conuere. Quapropter etiam voluit nomen curationis in eadem significatione conuenire febribus putridis, ea quidem ratione, qua hæ febres sunt affectus permanentes per partem iam factam earum & consistentem in corpore; vt vero in fieri sunt & in motu, prophylacticen conuenire: cuius munus est per remotionem causæ prohibere ne id, quod est in fieri & motu ipsarum, fiat in actu perfecto. Et huius fidem facit Galenus, cum inquit. Cuius officium est causam, quæ morbũ creat, adimere: quoniã istud relatiuũ (cuius)

non ad

non ad curationem voluit Galenus referri, sed ad prophylacticen; siquidem, vt inquiunt Grammatici, relatiuum debeat referri ad proximnm antecedens, & non ad remotum. Hoc quidem pacto intellexit Galenus, & voluit curationem putridarum esse mixtam & compositam ex curatione vera & propria, quæ est remotio affectus præsentis & in corpore permanentis, & prohibitione eius quod est in fieri, ne ad actum perueniat, per remotionem causæ. Vt omnino velit in earum curatione duas functiones Medici re, & ratione distinctas concurrere, nempè prohibitionem futuri fieri per remotionem causæ, & curationem eius quod iam factum est, quæ est eius remotio.

curatio morbi fiētis qualis

Quod etiam clarißime voluit, cum loquens de curatione phlegmonis, & reliquorum affectuum fientium sic scriptum reliquit. Nam quod eorum iam genitum est, id Medicinæ artis parti, quæ morbos curat, subijcitur: quod in generatione adhuc est, parti quæ futurum morbum præcauet. Atq; idcirco diximus non simplicem; sed compositam esse totam de ijs ægritudinibus, quæ in generatione adhuc sunt, medentis

lib.13.de mor. cur. cap.2.

" dentis sollicitudinem. In quibus verbis Galenus euidentissime vult mistum illud genus esse compositum ex curatione facti, & inhibitione eius quod est in generatione ne fiat: quæ sunt duo officia Medici per se re, & ratione distincta. Non autem vult quòd sit mistum ex curatione fientis, & prohibitione futuri, vt imaginatur Præceptor, sicut etiam nõ vult morbum fientem esse compositum ex eo quod est in fieri, & ex eo quod est futurum fieri, vt ex duobus diuersis; sed sicut dicit hunc esse mixtum ex facto, & futuro fieri, vt ex duobus quæ ipsum integrant, sic etiam apertè dicit huius curationem esse mistum genus ex vera curatione eius, quod factum est per huius remotionem, & inhibitione futuri fieri ne fiat per remotionem causæ. Quam sententiam Galenus vbiq; constanter profert, nec alicubi est legere apud eum quòd voluerit remotionem causæ esse salubrem causam curatiuã morbi fientis: quòd si istud voluisset, debuisset aliquando explicare, quod cum nullibi fecerit, ob id non immeritò sequitur istud nunquam illi in mentem venisse. Et ex dictis apparet veritas etiam eorum quæ dixi, & quàm iniustè

me reprehen-

me reprehendat Præceptor circa mentem Galeni, ut quilibet amator veritatis facile perpendere potest: quoniam dixi Galenum reprehendere recentiores in duobus. Primò quòd de nomine altercabantur: quoniam præseruatio quoquomodo curatio dici potest, & sic etiam remotio causæ erit aliquo modo curatio. Secundò quòd indistinctè loquebantur: quoniam ablatio causæ interdum est sola prouisio, interdum est curationi admixta, & quia hoc mixtum genus proprio caret nomine, ideo Medici interdum dicunt præseruare, interdum curare. Me reprehendit, inquam, quòd hæc mea interpretatio sit valde aliena à veritate: quoniam, inquit, falsum est quòd ablatio causæ sit interdum sola prouisio: quoniam non dixisset Gal. mistum genus esse compositum ex vera curatione, & prouisione, si interdum esset sola prouisio. lib.2 aphor.22 lib.xi.metho. cap.2.

Sed certe Præceptor incautè & inaduertenter me reprehendit: quoniam dixi ego ex Galeno met ibidem, quòd ablatio causæ est interdum sola prouisio, sicut contingit in syncera prophilactice, interdũ curationi adiuncta, sicut in non vera prophylactice: in qua causa sensibiliter gignit morbum, in qua primi

tus oportet remouere causam, ut prohibeatur ne fiat quod est in fieri & in generatione, postea remouere quod factum est. Et sic remotio causæ est interdum sola prouisio, interdum iuncta curationi. Non quòd remotio causæ sit simul curatio, & prouisio; sed quòd Medicus interdum sulummodo præcauet, quod facit cum remouet causam; interdum præcauet, & curat, quod facit primò remouendo causam, & postea remouendo quod factum est, ut patet clarissime ex Galeno.

Neq; vim habet quod dicit Præceptor, quòd Galenus pro tanto solummodo fecerit mentionem de prohibitione futuri fieri, & non de curatione fientis: quoniam ad inhibitionem futuri fieri per remotionem causæ necessariò sequitur fientis curatio; quia prohibito futuro cessat fieri. Et ideo ponens modum curationis, & causam salubrem morbi fientis, quam appellat antecedentem, solummodo fecit mentionem de prohibitione futuri. Quod certè alienum est à mente Galeni; siquidem pro tanto Galenus subticuit curationem fientis: quoniam huius nullam voluit esse curationem, neq; aliquam functionem medici aliam à

lib. art. med. cap. 88.

prohibi

prohibitione futuri fieri, sicut futurum fieri de fiente non est diuersum ab eo quod est in fieri. Et hac nimirum ratione motus Galenus fecit solummodo mētionem de prohibitione, & non de curatione. Huius signum est, quòd Galenus in verbis paulo ante citatis dicit. Quod in generatione adhuc est, parti quæ „
futurum morbum præcauet. Vbi vult quòd id, quod „
est in generatione & in fieri, subijciatur parti Medicinæ, quæ prophylactice dicitur. non igitur curatiuæ subijcietur vt imaginatur Præceptor. Et quoniam vult Galenus, quòd illud quod est in generatione & fieri requirat præcautionem ne fiat, & similiter quod est futurum fieri de fiente eandem præcautionem requirit, vt notum est. Igitur non ab re sequitur quòd esse in fieri, & esse futurum fieri de fiente sunt idem: nam vtrunq; horum est in potentia adiuncta actui, vt liquet. Et qui aliter sentit deuiat à veritate apud Galenum, sicut etiam iudicio meo non rectè sentit Præceptor, cum dicit Galenum appellare causam salubrem morbi fientis causam antecedentem; siquidem velit Galenus ibidem eam causam antecedentem esse causam morbi effectiuam, vel cō-

seruatiuam, atq; sic esse causam insalubrem, & nō salubrem: quoniam nullus vnquam dixit causam effectiuam alicuius morbi esse salubrem causam; sed fortè (vt verisimile est) hic error scribentium errore prouenit.

in lib. ar. med. cap. 88.

Et per ea quæ dicta sunt est euidens, quòd quæ dicit pro euasione auctoritatis Galeni nihil veri concludunt: quoniam remotio causæ est duntaxat salubris causa præseruatiua, & non curatiua; quoniam præseruat ne quod est in generatione fiat, & nihil aliud facit. Et pro tanto dixit Galenus causas salubres morbi fientis in curatiua artis parte, & præseruatiua locari: quoniam morbus fiens, de quo fit sermo, mediam naturam seruat inter morbum simpliciter factum, & simpliciter futurum fieri: quoniam habet aliquid facti, & aliquid in fieri; merito facti eius causa salubris ponitur in curatiua parte Medicinæ, & merito futuri fieri in præseruatiua. quare &c.

Neq; rectè interprætatur verba Galeni, cum inquit. " Huius itaq; postremæ hæ quidem in præseruatiua artis parte continentur; hæ verò, scilicæt duæ, in salubri,

in ſalubri, factæ videlicet, & fientis. Vt velit omnino Galenus, ſecundum hanc Præceptoris expoſitionem, ſalubres cauſas futuri morbi in præſeruatiua artis parte reponi; factæ verò, & fientis in ſalubri.

Quæ certè expoſitio adeo extranea videtur, & Præceptoris opinioni contradicens, vt mihi ipſi facile perſuadeam, non ex eius ſententia; ſed incuria ſcribentium poſitam fuiſſe, cum ſit euidenter falſum ſalubres cauſas morbi facti, atq; fientis in ſalubri artis parte locari, Galeno quidem aſſerente ſalubres cauſas morbi facti in curatiua ſolummodo poni; fientis verò in curatiua & præſeruatiua, & non in ſalubri, vt Præceptor inquit. Verus tamen verborum Galeni ſenſus eſt, quòd velit ſalubres cauſas præcauendi morbi in præſeruatiua artis parte reponi, qua de cauſa præſeruatiuæ dictæ fuerunt; & hæ in ſalubri. Et hæ quidem, non factæ, & fientis, vt dicebat Præceptor; ſed hæ, videlicet quæ præſeruatiuæ ſunt, in ſalubri ponuntur: quoniam diſpoſitio, cui hæ cauſæ attribuuntur, intra ſanitatis fines ponitur. Et ob id eius cauſæ ſalubres debent etiam in ſalubri artis parte contineri; primitus tamen in præſeruatiua parte Medi-

te Medicinæ: quoniam præcustodia instantis ma læ dispositionis non exigua pars est artis, quæ sanitatem tueri edocet, vt Galenus scriptum reliquit. Qua ratione Galenus egit in libris de sanitate tuenda de ea parte Medicinæ, quæ vera prophylactice dicitur: de altera verò, quæ non sincera est, egit in lib. de morbis curandis, quòd curatio morborum pendentiũ à causa fieri non poßit, nisi prius amoueatur causa, à qua dependent. Hæ itaq; causæ salubres, quæ futurum morbum præuauent, in præseruatiua continentur; & quoniam præseruatiua est pars artis salubris, ob id hæ præseruatiuæ causæ in salubri etiam continebuntur.

lib. 4. de san. tuen. non longe a pr.

Prophylactice pars artis vbi tractetur.

Ad primam verò rationem respondendo dico, quòd remotio causæ est salubris causa, non curatiua; sed præsereatiua per se: per accidens tamen potest etiam esse curatiua; sed non fientis, sed eius quod factum est de morbo fiente, & hoc quidem cum id quod factum est adeo est exiguum, & læuiter inhæret, vt sola causæ remotio sufficiat pro eius curatione, quemadmodum Galenus monuit sic scribens. "Affectus qui exigui sunt, separatis causis facientibus,

remotio causę per acñs potest esse curõ morbi facti & qũo

lib. i. de loc. af. cap. 2.

tibus illico finiuntur, natura videlicet ipsos sanante. Qua de causa dixit nonnullos, quibus oculi phlegmone tentari cœperant, sola purgatione per aluum facta sanasse: quoniam natura roborata per remotionem causæ potest se sola citra aliud auxiliũ Medici abijcere quicquid factũ est, & corpori leuiter hæret de morbo; sed vbi affectus vehementiores fuerint, quos natura se sola superare nequit sine medicaminũ auxilio, tunc causam prius abscindere oportet, deinceps ægritudinem iam factam sanare cum salubri causa alterante, & in contrarium statum corpus permutante. A qua sententia Auicenna etiam non dissentit. ,, lib.13.de mor. cur.cap.5. lib.1. fen. 4. cap.2.

Ad secundam rationem, quam dicit esse Galeni, dico falsum esse tot eſse morbos quot sunt causæ salubres: quoniam ex numero salubrium causarum non debemus inquirere differentias ipsorum morborum, sed potius econtra; siquidem ex eſsentia morbi cognita suboriantur indicationes curatiuæ, atq; salubrium causarum delectus, & ex eiusdem ignorantia ignorentur. Nec verum est quod Galenus ita argumentetur, vt inquit Præceptor; sed totum

contra

contrarium facit: nam illud, quod Præceptor accipit pro medio, Galenus infert pro conclusione, & econtra in hunc modum. Quot sunt differentiæ malæ temperaturæ tot etiam debent esse salubrium causarũ differentiæ; sed tres sunt differentiæ malæ temperaturæ, nimirum facta, futura fieri, atq; fiens. quare tres etiam erunt salubrium causarum differentiæ, quæ illis debent applicari. Hæc nimirum est ratio Galeni, vt patet consideranti eius verba, per quam cõcludit quòd tres sunt causæ salubres: non tamen omnes curatiuæ, sed solummodo quæ est causa salubris morbi facti est curatiua; futuri verò, & eius qui est in fieri salubres causæ sunt præseruatiuæ, veluti ex dictis constat. Nam morbus fiens, quia habet partem factam, ob id vna eius salubris causa est curatiua. Et rursus quia habet partem, quæ est in fieri, idcirco altera eius salubris causa erit præseruatiua; siquidem semper id verum sit, quòd ex essentia morbi perspecta nascantur indicationes curatiuæ, & electio salubrium causarum.

li.1.de loc. af. cap.2.

Ad Galeni Auctoritatem dico, quòd remotio ignis, vel gladij est causa salubris præseruatiua: quoniam

niam prohibet ne comburatur quod erat in comburi, & ne secetur quod erat in secari: quoniam tollitur actio ignis, quæ est combustio, & actio gladij, quæ est sectio. Quare etiam passio combustibilis, & sectibilis tollitur, & ob id prohibetur ne id, quod est in pati, patiatur. & sic dico quòd in morbo fiente huiuscemodi causa est causa præseruatiua solummodo, & non curatiua, vt luce meridiana clarius elucescit.

Quid consequenter dicendum sit de reprehensione meæ respõsionis ad auctoritates, quæ opinioni Præceptoris fauere videntur, apparet ex iam dictis: quoniam declaratum est qualis sit ea curatio, quæ debetur morbo fiēti, & quomodo intelligat Galenus eam esse mistum genus ex vera propriaq; curatione, & ex præuisione, vt supeefluum sit in ijs amplius immorari.

Apparet etiam ex dictis quàm præter rationem dicat causam meæ deceptionis esse, quòd existimem vna com Nicolo Florentiuo quòd remotto causæ sit curatio facti, & non fientis. De quo certè multum miratus sum, cum nunquàm istud mihi venerit in mentem; neq; ipse, vel alter potuerit, nec possit ex

meis dictis illud colligere, cum vbiq; semper dixerim remotionem causæ esse solummodo prouisionem, & nunquàm curationem nec fientis, nec facti, nisi ex accidenti, cum videlicet affectus læuiter inhæret, vt paulo ante dixi ex Galeni sententia.

Sermone 2. tra cta. primo sũ. 2. cap. 3.

Quod clarißime etiam voluit Nicolaus Florentinus, & quomodo velit eum trahere in eam opinione, me præterit certè, cum apertè videam ipsum in eo cap. ex propria sententia totum oppositum velle eius, quod Præceptor illi adscribit, vt quilibet facile deprehendet, qui totum illud cap. percurrere voluerit. Probato itaq; quòd morbus, qui est in fieri, non est verè morbus, reliquum est, vt satisfaciam rationibus Præceptoris, quibus oppositum comprobabat.

Solutio rationum probantium morbũ quidem in fieri esse verum morbum.

Ad primam itaq; respondendo, dico morbum, qui est in fieri, non esse morbum, nec morbi causam; sed symptoma. Sed contra: quoniam vel erit actio læsa, vel qualitas mutata, aut exiens mutatum. Dico quòd symptoma est duplex, cõmune, & proprium: cõmune symptoma est quicquid præternaturam animanti accidit; proprium verò est quicquid necessariò consequitur morbum. Morbus qui est in fieri, est sympto-

ſymptoma non proprium: quoniam non conſequitur morbum; ſed commune: quoniam inter ea connumeratur, quæ neceſſariò animanti præter naturam accidunt; ſiquidem ſit pathos præter naturam, quod non eſt niſi motus circa materiam à cauſa efficiente morbum dependens.

Morbus qui ẽ in fieri eſt pathos & ſymptoma generatim.

Sed inſtat Præceptor, primò quòd morbus fiens non ſolummodo non ſit ſymptoma generatim; ſed nec ſpeciatim: quoniam quicquid præter naturam animanti accidit, & non eſt morbus, nec cauſa morbi, neceſſariò debet eſſe ſymptoma ſpecatim; ſed morbus fiens non eſt morbus, nec cauſa morbi. Igitur erit ſymptoma ſpeciatim, quod falſum eſt, vt patet diſcurrenti per omnes differentias ſymptomatis ſpeciatim ſumpti; neq; etiam eſt cauſa. Igitur erit morbus.

Secundò quòd non poßit eſſe pathos, ſic probat: quoniam pathos non eſt niſi quum fit, & quum nõ fit non eſt; ſed morbus fiens, cum non fit, eſt: quoniam habet ex ſui natura, vt remota cauſa poßit permanere. Igitur non erit pathos. Quod ſanè voluit Galenus, cum dixit. Id quod adhuc fit, nec eſt niſi

In lib. de ſympto dif. cap. 3 33

" *dum ſit, actionem, aut pathos nominamus; quod*
" *verò per tempus aliquod permanere poteſt, ſanita-*
" *tem, aut morbum.*

Sed prima inſtantia ſoluitur, quoniam ſufficienter per datam reſponſionem remouetur, quòd morbus fiens non ſit ſymptoma ſpeciatim dictum; ſiquidem dicatur in reſponſione, quòd eſt pathos præter naturam pendens à cauſa efficiente morbum: quoniam nullum ſymptoma ſpeciatim dictum pendet immediate à cauſa morbi, ſed à morbomet. quarè excluditur in reſponſione data, quòd morbus fiens ſit ſymptoma ſpeciatim ſumptum. Et ratio, quam adducit ad iſtud probandum, parum cogit: quoniam maior propoſitio ſi debet eſſe vera, oportet eam ſic intelligere. Quicquid præter naturam accidit, & non eſt morbus, nec cauſa morbi, neceſſariò conſequitur morbum, eſt ſymptoma ſpeciatim. Qua ſic intellecta, minor propoſitio eſt poſtea falſa: quoniam ſicut morbus, qui eſt in fieri, non eſt morbus, nec cauſa morbi, ſic etiam non eſt aliquod neceßariò cõſequens morbum; ſed bene conſequitur cauſam morbi. Quapropter nulla erit illatio, vt patet.

dum ſit

Secunda etiam soluitur, negando quòd morbus, qui est in fieri, cum non fit, sit, & possit permanere remota causa, quoniam si permanet, non permanet, ut est in fieri, sed ut res permanens, quo modo conceditur quòd non est pathos; sed considerando eum, ut est in fieri, de quo est sermo, sic est uerum pathos secundum nomen, & secundum ratione, ut dictũ est. Ad uerba Galeni, quæ uidentur sonare, quòd posse permanere sit de essentia morbi, super quæ fundat se Præceptor, dico quòd sensus eorũ uerborum est, quòd intẽdens Galenus ponere differentiã inter actionem, & passionẽ ex una parte; & morbũ, ac sanitatẽ ex alia, dixit actionẽ, vel passionẽ nõ esse, nisi quum fit: quandiu enim causa agit, tandiu est actio, uel passio, & quamprimum cessat ea agere, illico cessat actio, & passio; sed morbus non est huiusmodi, & similiter nequæ sanitas: quoniã possunt per tempus permanere, ut uelit omnino Gal. differentiam inter ea quatuor esse, quòd actio & passio momentaneam, et indiuisibilẽ habent permanentiam, sicut omnia successiua; sed morbus, & sanitas amplam habent permanentiam: quoniam possunt per temporis spacium

permanere,

permanere, sicut reliqua entia permanentia. Non intelligit autem Galenus, quòd morbus pendeat à causa secundum essentiam, & ut pendet à causa, habeat ut possit etiā permanere remota causa, quāuis hæc non remoueatur: quoniā Galenus accipit morbū ut est res permanens, & independens à causa; siquidem sub ea ratione accipit morbum in verbis citatis, sub qua prius acceperat in eodem cap. sed prius eum accepit pro re permanente: quoniam dixit ipsum esse affectum permanentem, & esse pathos non simpliciter; sed factum pathos. Quapropter etiam in eadem significatione debet in illis verbis accipere. Præterea qua ratione sanitas dicitur permanere, eadē & morbus, veluti ex verbis Galeni liquet; sed sanitas, ut est indepēdens à causa, dicitur permanere, siquidem omnibus sit euidens, sanitatem simpliciter in corpore permanere independentem à causa. Quarè etiā morbus consimiliter permanebit. Et ob id dicendum est, quòd permanentia est de essentia morbi, permanētia quidem non momentanea; sed quæ ampla est citra dependentiam à causa: quam permanentiam morbus fiens habet ex parte eius quod factum est: quoniam

huius gratia non habet causam, sed solummodo vt est in fieri. Quare vt est in fieri non habebit eam permanentiam per tempus durantem, sed per instans duntaxat, vt omnia succeßiua habent, & sic non erit morbus, sed pathos. Veluti dealbatio, cuius aliquid est in facto esse, & aliquid in fieri, est affectus permanens & pathos: affectus quidem permanens ex parte eius, quod factum est & dealbatum; pathos verò, ex parte eius quod est in dealbari; quoniam sic pendet à causa dealbante: quod verò dealbatum est, sua natura permanet indepēdens à causa, adeò quòd si causa dealbans perseueret in dealbando, illud, quod dealbatum est, eodem modo permanet, ac si nulla esset causa. sic dicēdum præcise de morbo, qui est in fieri, quòd vt est in fieri, pathos est: quoniam est motus circa materiā ab agente procedens; & quoniam secundum propriam essentiam, vt est fiens, dependet à causa, adeo vt sic non potest permanere remota causa, sicut dealbatio quatenus dealbatio permanere non potest remota causa, & breuiter nulla actio sine sua causa esse potest. Sed dicit Præceptor quòd potest permanere quantum ad id quod factum

est, sed oportet considerare, quòd illud quod factum est actu permanet, & non potentia. Quòdsi dicat Galenus quòd potest permanere. Apparet iam ex dictis qualis sit intellectus verborum Galeni: quoniã intelligit quòd potest permanere, sicut omnia entia permanentia dicuntur permanere, de quibus est verum dicere quòd nunc sunt, & paulo post etiã erunt; quoniam eorũ permanentia est in tempore, & non in instanti. Quapropter relinquitur quòd morbus fiens erit pathos, & non morbus, nisi meritò eius quod factum est. & de hoc Galenus adeò clare loqutus est,

lib. 2. de mor. cur. cac. 3.

quemadmodum etiam prius monui, quòd clarius nõ potuisset loqui, cum dixit. Et sanitas quidem, & morbus, & quæcunque symptomatum, causarumq; affectus, vel habitus sunt, ex permanentium constantiumq; numero sunt: actiones autem omnes, alterationesq; in quacunq; re fuerint, in ipso fieri essentiam suam possident, & corpus secundum quodcunque mouetur, secundum idem patitur, motusq; eius pathos, siue passio est. Ex quibus clarissime constat morbum, qui est in fieri, esse pathos: quoniam corpus secundum ipsum mouetur & patitur. quare & c.

Idem etiam

Idem etiam conatur probare ex Galeno, quòd morbus dicatur, non ex eo quia permaneat, sed quia potest permanere; siquidem Galenus ita scribat. Si contigerit, vt ea corpora, quæ in se caliditatem admiserunt propter iram, longo eam tempore retinere natura apta sint, licet motus cordis sedetur; in hisce tamen remaneat calor præter naturam, inde hominem fabricitare necessarium est. Ex quibus verbis clare innuit, quòd caliditas in spiritibus & sanguine ex ira inducta, si hoc habuit, quòd cessante ira, quæ est eius causa, possit permanere, febris dicitur. Per hoc denotans talem caliditatem, cum est in dependentia ab ira, morbum esse, dummodo possit permanere eius ablata causa, & sic morbus dicitur non ex eo quòd sit permanens duntaxat; sed etiã ex eo quòd potest permanere.

in lib. de feb. diffe. cap.3.& lib.2.de crisibus cap.13.

Ex quibus apparet, dicit Præceptor, quantum à veritate deuiauerit Thomas de Garbo in expositione huius textus, innuens quòd dispositiones lædentes operationes nostri corporis sensibiliter, quantuncunq; læderent, quæ continue sunt dependentes in conseruari à causis extrinsecis, vel primitius, & specialiter

à causis ad libitum cuiuscunq; remouibilibus à corpore, non sunt dispositiones morbosæ. Quod voluit Galenus per hæc verba. Necesse est febrire hominem, quum sanguis & spiritus, quæ suscipiunt calorem ab ira, fuerint apta detinere calorem illum, & non aliter. Quod nititur nonnullis alijs rationibus astruere, asserens tandem quòd paßio est dispositio existens in fieri, & in dependere continuè à causa, & quòd cum hæc dispositio permaneat in corpore, & à causa amplius non dependeat, tunc sit morbus. Et sic voluit quòd Galenus irrefragabiliter intelligat de causa primitiua, ita quod cum dicit Galenus, quòd paßio est dispositio existens in fieri, & in dependere continuè à causa, intelligit de causa primitiua, & sic concludit quòd qualitas continuè à causa primitiua dependens, & non intra corpus, quantuncunq; lædat operationes sensibiliter, est paßio, & non morbus, & sic caliditas ephemeræ, præsente ira, vel alia causa extrinseca, non erit morbus, quod absurdum est. Huic inter recentiores Nicolaus Florentinus, & Franciscus Valeriola fauent, & hoc ne cogantur dicere febrem putridam à causa dependentem in fieri

Ser. 1. tract. 2. cap. 12. in lib. de sym. differ. cap. 1.

non esse

non esse morbum. In quo quidem quantum à verita-te deuient, indicant verba dicta, quũ non ex dependẽtia à causa dicatur pathos, seu sit primitua, seu sit corporalis: sed ex eo quòd ablata eius causa non potest permanere. Quapropter cũ caliditas in spiritibus, seu in sanguine poßit ablata ira permanere, morbus dicitur, & verè febris Ephemera, & si præsens sit ira.

Sed quod dixi satisfaciendo auctoritati paulo antè citatæ, idem nunc dicendum esse reor pro verificatione præsentis auctoritatis: Quoniam vult Galenus, quòd si caliditas propter iram contracta in spiritibus & sanguine fuerit adeo fixa, vt placata ira persistat adhuc, quòd necessarium sit hominem inde febricitare, dummodo ea caliditas fuerit adeo vehemens, vt functiones corporis impedierit: quoniam tunc ea caliditas non pendet ab ira, esto etiam quod ira non fuerit sedata; sed sua natura permanet, & sicut sua natura permanet nõ dependens ab ira, quanuis hæc perduret adhuc, sic etiam est apta permanere, vbi ira fuerit placata: quoniam quodcunq; sua natura permanet, sicut nunc permanet, sic etiam dicitur esse aptum permanere: quoniam per instans ex lib. de sympto. diff. cap. 1.

non permanet; sed per spacium temporis. Et sic caliditas præter naturam affixa sanguini & spiritibus, vt permanet præsente ira (quantumuis ab ea non pendeat in esse: quoniam sua natura permanet) sic etiam est apta permanere eadem absente, & iam sedata. Et ideo quod dicit Præceptor quòd Galenus per ea verba denotat eam caliditatem, cum est in dependentia ab ira, morbum esse, aberrat: quoniam ea caliditas, cum ita inhæret sanguini & spiritibus, vt morbus sit non pendet amplius ab ira: quoniam tunc ex sui natura permanet, & est apta permanere. Et istud est quod vult Galænus cum dicit, quòd
" si ita contingerit, vt ea corpora, quæ in se caliditatem
" admiserunt, longo eam tempore retinere natura apta
" sint, licet motus cordis sedetur, & quæ sequuntur. Hoc est, si ita cōtigerit quòd ea caliditas præter naturam sit adeò affixa illis corporibus, vt apta sit dici permanere in illis, quamuis sedetur ira; tamen necessarium est hominem corripi febre.

Quòdq; huiuscemodi caliditas febrilis, vt est morbus, non pendeat ab ira, est ex hoc euidens: quoniam hæc febris ab ira excitata est Ephemera, totum

suum

ſuum eſſe habens in facto eſſe. Quapropter à nulla cauſa dependebit. Et ideo ſequitur quòd morbus, qui eſt in fieri, vt quidem eſt in fieri, non eſt morbus: quoniam non permanet, neq; poteſt permanere, cum ſemper pendeat à cauſa. Quòdſi permanet ex parte facti, non tamen vt eſt permanens, pendet à cauſa: quoniam ex ſui natura permanet, & eſt aptus permanere; ſed vt eſt in fieri, ſemper pendet à cauſa, & tandiu eſt, quandiu cauſa agit, & ceſſante cauſa ipſe etiam deſinit eſſe, vt eſt in fieri. Et ideo concludendum ipſum, vt eſt in fieri, eſſe pathos; ſiquidem cuicunq; conuenit definitio, eidem etiam definitum; & quoniam ratio pathos conuenit morbo, qui eſt in fieri; ſiquidem ſit motus circa materiam ab efficiente procedens, idcirco pathos vocabitur.

Et ex his apparet, quòd non rectè Præceptor carpit Thomam de Garbo, quòd dixerit paſſionem eſſe diſpoſitionem, quæ eſt in fieri, & in dependere continuè à rauſa: quoniam, dicit Preceptor, non ex dependentia à cauſa dicitur pathos; ſed ex eo quòd ablata eius cauſa non poteſt permanere.

Sed non rectè quidem reprehendit: quoniam

Thomas

pathos quid. in lib. de sym pto. diff. cap. 1

Thomas tetigit illud, quod est essentiale ipsius pathos, imitatus Galenum ita diffinientem pathos, quòd est motus circa materiam ab efficiente procedens, vel quòd est motus alterationis circa materiam, qui adhuc fit. Sed Præceptor omisso quod essentiale est, tetigit vnum, quod necessariò consequitur essentiam ipsius pathos, nempè eius ablationem ablata causa: quoniam ex quo ipsum pathos secundum propriam essentiam est motus circa materiam à causa efficiente procedens, ad hanc necessariò sequitur quòd posita ea causa ponitur pathos, & remota remouetur. Quapropter Thomas non erat in hoc reprehendendus.

Morb. an possit esse cum dependētia a causa primitiua

Venit tamen reprehendendus in alio, in eo quidem quòd, negat dispositionem sensibiliter lædentem dependentem in conseruari à causis primitiuis, vel ad libitum cuiuscunq; remouibilibus, non esse morbum: quoniam, vt paulo ante dicebā, cui conuenit definitio, eidem conuenit etiam nomen, rei cuius est definitio; at morbi definitio conuenit ei dispositioni, quæ in conseruari pendet ab illis causis, vt Thomas etiam fatetur. Quare erit morbus.

Sed instat contra hoc Thomas, primò quoniam

Galenus dicit in verbis citatis, quòd necesse est hominem febrire, cum sanguis & spiritus, quæ suscipiunt calorem ab ira, fuerint apta detinere calorem illum, & non aliter. Quapropter non vult quòd febris sit dependens ab ira, vel alia causa.

Tum etiam quoniam Galenus, ponens differentias febrium ex diuersitate materiæ, dixit nullam febrem constitui, nisi in aliqua prædictarum materierum, nimirum in spiritibus, humoribus, aut partibus solidis fuerit caliditas præter naturam accensa, & in facto esse. Quare non vult quòd pendeat ab aliqua causa primitiua. in lib. de feb. diff. cap. 1.

Tum etiam quoniam si morbus ad sui constitutionem non requireret quòd homo, qui haberet manus ligatas, esset infirmus; siquidem sit sensibiliter impeditus in operationibus organicis ipsarum manuum, consequens tamen falsum, quamuis istud fuerit sibi concessum à quibusdam doctoribus, quorum nomen, dicit ipse, Deus à collegio doctorum totaliter extermmet. Et ideo concludit quòd aliud ad morbum requiritur, quàm quòd sit dispositio præter naturam sensibiliter lædens operationes corporis, & hoc quidem

dem

dem ut non sit dependens à causa primitiua. Quam limitationem ponit Thomas propter febrem putridam, quæ non esset morbus, cum sit qualitas in membris continue dependens in fieri ab ipso humore; quia tamen non dependet à causa primitiua: quoniam sic esset paßio, & non morbus; sed à causa antecedente, quæ non impedit quin sit morbus. ob id concedit aliquem affectum præter naturam esse morbum, quamuis pendeat à causa.

Sed sustinendo quod iam fuit determinatum, pro solutione rationum Thome scire oportet, quòd morbus, qui ponitur pendere à causa pro sui conseruatione, est affectus iam factus, & permanens in corpore, neq; eget aliqua causa à qua dependeat pro sui permanentia: quoniam ex sui natura permanet, & eadem causa, quæ ipsum produxit, eum etiam conseruat: permanet tamen ab ea independens, quamuis hæc sit in corpore præsens, qua nimirum sublata, nihilo secius permanet, quàm prius. Et hoc quidem generaliter dico de omni causa, tam primitiua, quàm antecedente. Quapropter satisfaciendo suis obiectis, dico quòd febris, quæ genita

fuit ab

fuit ab ira, postquam genita est, & obtinet rationem morbi, non pendet amplius ab ira quo ad essentiam; sed duntaxat quoad conseruationem. Queadmodum etiam febris ex putredine humorum excitata non dependet amplius ab humorũ putredine quantum ad sui essentiam & perfectionem; sed solummodo quantum ad conseruationem perfectionis iam adeptæ. Et ob id sequitur quòd febris, quæ est morbus, est res permanens & subsistens in corpore independens à causa: quæ tamen conseruari potest ex præsentia causæ, cuius conseruatio erit pathos corporis febrientis. & ideo pro veritate definitionis morbi aßignatæ à Galeno nulla erit opus conditione, aut limitatione, sed semper erit generaliter verum quòd omnis affectus præter naturam, quamprimum læserit functiones corporis, erit morbus, vel sit causa præsens, vel non: quoniam satis est, quòd sit quoad suã essentiam independens à causa, & veluti dicitur sit in facto esse & permanente, Et ita apparet veritas dictorum Galeni, &c.

Conseruatio morbi est pathos.

Ad id autem quod adducit Thomas tanquam quodam absurdum de homine habente manus liga-

homo habens manus ligatas de nominatur æger.

tas, videtur mihi necessariò concedendum eum hominem ægrotare; siquidem sibi conueniat definitio morbi: quoniam est sensibiliter læsus in operationibus manuum, ægrotare morbo in positione, & colligantia: quoniam manus, quæ secundum naturam debent esse abiunctæ, sint insimul connexæ per ligaturam factam, perinde ac si à natura fuissent simul colligatæ, sola existente differentia quòd si à natura & ab intrinseco facta fuisset ligatura eius, ligamentum connumeraretur inter res naturales: factæ vero ab extrinseco inter res extrinsecas. & ob id dicendum est quod ea ligatura est constitutio præter naturam ipsarum manuum, vel vicem gerit talis constitutionis, quæ primò lædit functiones corporis: quoniam ea ligatura non est causa efficiens, & primitiua, vt Thomas de Garbo existimat; sed est forma, vel subit rationem causæ formalis proximæ, & immediatæ constitutionis præter naturam manuum: quandoquidem causa efficiens primitiua fuerit ars, aut homo qui alterius manus colligauit. Sed reuertendo ad rationes Præceptoris, ad secundam rationem principalem, qua probat morbum qui est in fieri

esse mor-

esse morbum, respondeo quòd veritatem concludit de intemperie quæ iam facta est, & in corpore permanet, & non de ea quæ est in fieri: cuius quidem ratio est, prout etiam dicebam in confutatione eorum, quæ pro defensione suorum dictorum adducebat. Quoniam omnis constitutio præter naturam lædens functiones corporis est morbus; sed omnis intemperies, cuius pars iam facta est & permanet, est constitutio præter naturam lædens functiones corporis. Quare erit morbus. Ratio tenet à definitione ad definitum, & per oppositum: quoniam intemperies, quæ est in fieri & motu, non est constitutio corporis præter naturam lædens functiones corporis, ob id neq; erit morbus.

Sed contra hanc responsionem instat Præceptor, probando quòd intemperies etiam, quæ est in fieri & motu, sit constitutio præter naturam immediatè lædens functiones corporis, & non solummodo ea quæ iam facta est, hac duplici ratione, quarum vna est, quam in terminos ita reduxi. Omnis intemperies præter naturam, quæ sentitur ab ægrotante, est constitutio præter naturam immediatè lædens operationes cor

poris; sed intemperies præter naturam, quæ est in fieri, sentitur ab ægrotante: siquidem quæ iam facta est non sentiatur; ut apparet de Hectica, & auctore Galeno tandiu sentiamus, quandiu sumus in alteratione, ob id intemperies præter naturam quæ est in fieri erit constitutio præter naturam immediatè lædens operationes corporis. Quapropter erit morbus. Quæ ratio est eadem cum septima ratione principali superius adducta.

in lib. de inæquali intemperie cap 6

Altera eius ratio est, quoniam ad intemperiem quæ est in fieri & motu sequuntur symptomata; siquidem scribat Galenus rigorem, dolorem, tremorē horripilationem, & alia id genus symptomata sequi ad intemperiem, quæ est in fieri: & quoniam simtomata non nisi ad morbum sequuntur, ob id intemperies quæ est in fieri erit morbus. Et fuit hæc ratio sexta in ordine ex superius adductis.

in lib. de inæquali intemperie cap. 6.

Ad primam tamen respōdendo, concedo quòd omnis intemperies præter naturam, quæ sentitur ab ægrotante, est constitutio præter naturam primò lædens functiones corporis: quoniam nisi ad tantam magnitudinem peruenerit, ut vel à nobis cognosci, vel

ægrotan

ægrotantis sensu percipi poßit, nunquam iudicabitur esse morbus. Et quoniam omne quod sensu deprehendi potest, debet necessariò subsistere, & esse in actu tale; siquidem sensus nonnisi in id quod est actu ens feratur, ob id ea intemperies præter naturam erit in corpore actu subsistens. Et quum subdit quòd intemperies præter naturam quæ est in fieri sentitur ab ægrotante, dico quòd si intelligatur de intemperie, quæ est simpliciter in fieri & generari, falsum est eius dictum: quoniam quod non est non potest sentiri; Si verò de ea quæ secundum quid dicitur esse in fieri, sic verum est: quoniam hæc intemperies, quæ hoc modo dicitur esse in fieri, secundum essentiam subsistit in corpore; sed dicitur esse in fieri, quoniam tendit ad suum complementum; siquidem nil poßit augeri, & ad suum complementum peruenire, nisi prius extiterit secundum propriam essentiam. Quapropter morbus qui est in fieri, hoc est qui tendit ad suum complementum, erit res permanens, & subsistens in corpore secundum essentiam, & sic lædet functiones corporis, & non ratione qua dicitur esse in fieri. Et quòd res ita se habeat, rationibus monstratur.

Morbū vt est in fieri non lędere functiones corporis.

Primò quidem quoniam terminus ad quem mutationis non est neq; mutatio, neq; est in mutatione illius cuius dicitur terminus; sed functionis læsio est terminus ad quem mutationis constitutionis corporis præter naturam; siquidem auctore Galeno terminus mutationis cuiuscunq; particulæ sit functionis læsio. Quare hæc eadem functionis læsio non erit mutatio constitutionis præter naturam, neq; erit in mutatione constitutionis præter naturam. Et ob id sequitur quòd constitutio præter naturam, quæ est in mutari & in fieri, non lædat functiones corporis.

in lib. de inęquali intemperie cap. 6.

Tum etiam quoniam terminus est eius quod in subiecto actu persistit; siquidem ex Aristotelis sententia quod est in potentia sit indefinitum & indeterminatum; sed functionum læsio est terminus ex dictis à Galeno. Quare hæc erit terminus eius quod actu in corpore persistit. Et quoniam ponitur terminus mutationis præter naturam constitutionis corporis, ob id hæc constitutio corporis præter naturam erit actu in corpore subsistens. Quapropter constitutio præter naturam, vt est in fieri, non erit causa læsionis functionum corporis.

lib. 4. metaph. tex. 15.

Amplius


Amplius illud, quod indicat constitutionem corporis esse iam mutatam & factam, non fit in tempore mutationis illius; sed læsio functionum indicat constitutionem corporis esse iam mutatam: quoniam est terminus mutationis illius, & signum quòd sanitatis latitudo iam præterit, & suborta sit ea quæ est ægritudinis, prout etiam Galenus declaratum reliquit. Quarè functionum læsio non fiet in tempore mutationis constitutionis corporis; sed cum iam facta est & mutata.

in 2. de temperam. cap. 4. in lib. art. med. cap. 8 & 1. de san. tuenda.

Rursus omne quod est in motu, sumit denominationem à termino ad quem tendit, ex Aristotelis sententia; sed constitutio præter naturam, quæ est in fieri, est in motu. Quare sumet propriam denominationem à termino ad quem; sed terminus ad quem tendit est functionum læsio. Igitur ab hac functionum læsione propriam accipiet denominationem: est autem hæc vt denominetur morbus. Idcirco constitutio, quæ iam peruenerit ad terminum motus, erit morbus, & impediens actiones corporis, & non quæ est in motu.

lib. 5. physicorum t. 4.

Amplius actiones sunt eorum quæ existunt, veluti



in prohemio metaphy.

luti Aristoteli placet; sed lædere functiones corporis est actio: quoniam est actio ipsius morbi, & constitutionis præter naturam. Quare lædere functiones corporis erit eius quod actu existit. Et quoniam ponitur quòd sit actio intemperiei, vel constitutionis præter naturam, ob id hæc actu in corpore existet, & hæc de prima ratione.

Symptomatus quæ sunt motus deprauati trifariam dicūtur.

lib. 2 de symp. causis cap. 1.

Ad secundam instantiam respondēdo, dico quòd symptomata quæ sunt motus deprauati, qualia sunt horror, rigor, & tremor, quæ in ratione adducuntur, sunt, vt scribit Galenus, in triplici differentia, quædam sunt quæ ad morbum referuntur, aliqua ad naturam, & quædam alia ad vtrunq; . Quæ ad morbum referuntur eum necessariò sequuntur, vt est affectus in corpore permanens, veluti conuulsio, & palpitatio, quæ neruorum tensionem, & malam corporis temperaturam consequuntur, quæ uerò ad naturam referuntur, eam consequuntur vt est à causa morbi stimulata, sicut horror, & rigor, & alia id genus, quæ quoniam dependent à causa pungente, mordente, & continuum soluente, ob id dicuntur sequi affectum qui est in fieri, veluti solu-

tionem

tionem continui quæ eſt in fieri, vel intemperiem, quemadmodum etiam dolor eundem affectum in fieri ſequitur, non tamen ob hoc dicendum eſt hunc affectum pendentem à cauſa, vt ſolutionem, aut intemperiem in fieri, eſſe morbum: ſiquidem Galenus non ſeiunxiſſet hæc ſymptomata ab illis, quæ ſequuntur morbum: bene concedendum eſt eum eſſe pathos, & motum quendam inæqualem in corpore ab humore procedentem. Sed qua ratione verum ſit generaliter, quòd ſymptomata ſequantur morbos, apparet ex Galeno, quum dixit. Symptomata quaſi ſoboles à morbis originem trahunt, idq; vel plane à morbis, vel interuenientibus quibuſdam ſymptomatis. Quapropter rigor, & horror, & alia id genus ſymptomata, quæ pendent à cauſa morbi, à cauſa quidem antecedente, vt ab humore ſui quantitate, vel qualitate nocente, ſequentur morbum: quoniam intercedente læſione functionis naturalis facultatis, nimirum attractricis, retentricis, alteratricis, aut expultricis, ducent originem ab affectu manente in corpore immutante actionem, vel actiones prædictarum facultatum, quemadmodũ ex dictis Galeni poterit

in lib. de ſympto. dif. cap. 6. & 7. Sympt. omnia ſequi morbu permanentem & non qui eſt in fieri.

T

lib.2.de febriū differen. cap. vltimo.

quilibet facile deprehendere, dum causas circuituum in febribus recenset. Cæterum quòd syptomata, quæ simul ad naturam, & ad morbum referuntur, immediatè sequantur morbum, apparet de tremore, qui simul ad vtrumq; refertur ex Galeni sententia, & primò sequitur vel intemperiem frigidam subsistentem, vel obstructionem alicuius meatus transitum virtutis impedientem. Atq; sic concludendum quòd symptoma sequitur intemperiem, & morbum vt est permanens in corpore, & non ratione qua est in fieri; siquidem ratio superius adducta istius faciat fidem: quoniam omnis causa productiua alicuius effectus debet actu subsistere, alioquin non efficeret; & quia morbus est causa productiua suorum symptomatum, ob id debet in corpore subsistere. Non itaq; vt est in fieri; sed vt est in facto esse erit causa suorum symptomatum.

lib.2 de causis sympt cap 2.

lib.2.ap[illegible]o.co. aphor.2..

Sed remanet instantia de dolore, qui cum sit symptoma, non videtur sequi affectum permanentem; sed eum qui est in fieri; siquidem sectio, vel ruptio dolorem inferat non posteaquàm facta est; sed omnia huiuscemodi dum fiunt inter dolorum cau-

sas repu-

sas reputantur dicebat Galenus. Neq; potest quis con fugere quòd remotè sequatur morbum; quoniam dolor remotè sequitur causam soluentem continuum, quæ licet cum est intrinseca, possit esse affectus permanens, qualis est intemperies: tamen cum hæc ab extrinseco venit, veluti est res contundens, pungens, incidens, vel alia huiusmodi, non poterit esse morbus, neq; dolor in aliquem morbum referri poterit, nisi concedatur affectum in fieri esse morbum.

lib.2. de causis sympt. cap. 6.

Cui respondendo dico quòd dolor ex natura rei semper primò sequitur solutionem quæ est in fieri secundum veram Galeni opinionem (quamuis non ignorem conciliatòrem, & multos alios aliter sentire). hæc quidem vnitatis solutio à causa ducit originem, quæ corpus violenter, & affatim immutat vel calefaciendo, vel refrigerando, vel euidenter continuum soluendo: quæ enim calefaciunt, atq; refrigerant primùm corpus alterant ad calidum, & frigidum, deinceps continuum soluunt: quoniam prima calidi, et frigidi operatio est corpus calefacere, ac refrigerare: secunda est particulas corporis abinuicem separare, calidi quidem disgregando, funden

lib.4. de simplicium med. fac. cap. 1. ad quem se remitit lib. 12. de mor. cur. cap. 7.

do ac dißoluendo; frigidi verò contrahendo & condensando: nam vtroq; modo particulæ corporis abinuicem separantur, in quarum separatione suboritur dolor, & non cum separatæ sunt. Et hoc modo liquet quòd dolor, vt est symptoma, refertur ad morbum: non primò tamen; sed intercedente vnitatis solutione, quæ est in fieri, ab intemperie inducta à re alterante; siquidem primo inducta sit intemperies calida, vel frigida, ad quam sequitur vnitatis solutio, ex qua postea suboritur dolor: quoniam ea intemperies in corpore subsistens est morbus, ad quē dolor refertur: cæterum si solutio continui pendeat à re euidenter soluente, veluti à re secante, incidente, contundente, rumpente & ab alijs id genus. Eodem etiam modo dolor inde nascens poterit in morbum referri: quoniam causa solutionis continui, quæ est in fieri, licet sit extrinseca, & casualis: tamen, vt applicita est corpori, & eius vnitatem soluit, supplet vicem alicuius affectus præter naturam consistentis in corpore, affectus nimirum in numero: quoniam est res superaddita corpori, quæ non requiritur ad eius constitutionem, atq; inter eas connume-

rabitur

rabitur, quæ toto genere præter naturam sunt. veluti ensis, qui hæret corpori, & ipsum vulnerat & pungit, & quandiu hæret & vulnerat, morbum in numero constituit, & solutionem facit, quæ dolorem parit. & sic vniuersaliter verificabitur, quòd dolor, & omne symptoma refertur in morbũ vel primò, vel alio intercedente.

Deueniendo ad tertiam rationem principalem: quoniã Præceptor in prima sua defensione tres alias rationes adducit idem confirmantes, quæ consimili responsione possunt solui. ob id, ne tempus frustra labatur, eas adducam prius, & soluam.

Prima est. Quod per ablationem causæ aufertur, dicitur & est morbus; id quod est in fieri, est id quod per ablationem causæ aufertur. Igitur id quod est in fieri, est morbus.

Secunda est. Id quod per ablationem causæ aufertur, est id quòd est in fieri; morbus propriè & verè est id quòd per ablationem causæ aufertur. Igitur morbus propriè & verè est id quod est in fieri.

Tertia est. Id cuius dicitur, & est causa, est in fieri; morbus est id cuius dicitur & est causa. Igitur mor-

tur morbus est id quod est in fieri.

Respondendo ad rationem principalem, Dico quòd falsa est ea assumpta propositio, quòd id cuius est causa, sit verè morbus. Ad probationem dico concedendo quòd illud quod Medicus principaliter considerat in curatione morbi est morbusmet; Sed nego postea quòd id cuius est causa medicus principaliter consideret: quoniam Medicus principaliter considerat ægritudinem factam, quam remouere intendit, cuius non est causa. Et quoniam eam remouere non potest, nisi prius causam auferat, per cuius ablationem prohibet ne fiat quod erat in fieri, ob id etiam considerat causam, & id cuius est causa, vt ab ea sumit indicationem præseruatiuam solummodo, & non curatiuam, vt ex Galeno liquet in locis supra citatis.

lib.4.de mor. cur. cap. 1. & alibi vbi sup.

Sed contra inquit Præceptor: quoniam dicimus causam morbi, & cum non sit nisi fientis. Igitur fiens morbus erit verè morbus.

Addo in confirmationem sui dicti. Quoniam omnes de Medicina benemeriti pertractant de causis morborum, & morborum quidem qui verè morbi sunt

bi sunt, Et quoniam causæ sunt solummodo eorum morborum, qui sunt in fieri, ob id sequitur quod hi morbi, ut sunt in fieri, erunt vere morbi.

Secundo instat falsum esse quòd à causa solummodo sumatur indicatio de præcustodia: quoniam ex Galeno remotio causæ est curatio, & præseruatio, & alibi curatio post effectricis causæ cognitionem statim se exibet. Igitur remotio causæ facit ad curationem.

lib.4.de mor. cur. cap.3.

Ad primum respondeo quòd causa morbi bifariam considerari potest, uno modo in relatione ad finem intentum, qui est destruere functiones, & substantiam corporis per præsentiam affectus præter naturam, qui est morbus: Secundo modo in comparatione ad eius actionem, quæ est generatio & productio illius affectus præter naturam. Primo modo accepta est causa veri & propriè dicti morbi; sed non secundo modo: quoniam sicut actio & generatio rei non est ea res cuius est actio & generatio; sed est via in eam, ut in finem per se intentum, & via in formam, & in finem est alia à fine, sic etiam causa hoc secundo modo accepta non erit causa veri morbi; sed

Causa morbi bifariam accipitur.

Morbus quomodo dicatur habere causa.

bi; sed efficientiæ & generationis, quæ est via in verum morbum, vel est causa morbi secundum fieri & generari, qui morbus non mæretur nomen veri morbi nisi post completam eius causæ efficientis actionem. & ob id sequitur quòd in toto eo tempore, in quo causa morbum efficit, nullus erit adhuc verus & perfectus morbus; sed imperfectus & diminutus, vt scienti patet. Et ex his respondetur ad rationem, quòd cum dicimus causam morbi, si accipiatur causa in ordine ad effectum, quem producere intendit, sic dicimus, & intelligunt omnes causam morbi esse causam veri morbi sub ratione finis intenti; sed si accipiatur ea ratione qua efficit, sic abusiue dicitur causa morbi: quoniã est causa generationis & productionis illius. In qua significatione accipit Præceptor suam propositionem, quòd id cuius est causa, dicatur morbus, volens omnino morbum hoc modo pendentem à causa esse verum morbum, quod falsum est, & alienum à veritate.

causa refertur ad causatum quod est in fieri.

In hac eadem significatione conceditur quòd causa refertur ad suum causatum quod est in fieri, & non ad id quod est in esse completo, nisi fortè sub ratione finis:

tione finis: quoniam posita causa ponitur causatum quod est in fieri, & remota remouetur idem causatum; sed non id quod est in facto esse.

Sed contra hoc aduersarius obijceret: quoniam causa realis debet habere effectum realem; sed causa morbi est realis. quapropter etiam morbus debet esse effectus realis; sed vt est in fieri non est realis: quia non existit adhuc; sed bene vt factus est & permanens. Quare causa realis dicetur causa morbi facti & permanentis.

Cui dico, quòd eo modo quo causa est realis, sic etiam morbus debet esse realis; & quoniam causa est realis, quoniã est in continuo motu & actione; siquidem causa nõ dicatur causa, nisi quia efficit et mutat & quadiu efficit & mutat, tandiu causa dicatur, sic etiã morbus, ad quem causa habet relationẽ erit affectus realis vt est in continuo motu, hoc est in continua alteratione, siue in continuo fieri. Et sic verificabitur quòd causa morbi dicitur causa morbi fientis; sed non veri morbi, nisi habita ratione finis intenti ab ea causa efficiente, sicut causa generans animal generat quidem verum & perfectum ani-

Causa realis quo dicatur habere effectũ realem.

mal sub ratione finis: non tamen quandiu generat erit perfectum animal; sed erit in via. quare. &c.

Et sic apparet quid sit dicendum ad instantiam Praeceptoris, necnon ad confirmationem: quoniam qui sunt de medicina benemeriti, pertractant de causis verorum morborum, qui ab eisdem causis per se intenduntur: qui postquam effecti sunt, desinit motus earum: quoniam, habito fine, cessat omnis motus efficientis, sicut etiam de causis conseruantibus, quae quoquo modo efficientes esse dicuntur, per tractarunt, vt harum finis est conseruare affectus iam in corpore pemanentes.

Ad alteram instantiam ex supra dictis est euidens responsio: quoniam falsum est quòd remotio causae sit curatio, & praeseruatio, accipiendo nomen curationis, vt est operatio per se secundum rem & rationem distinctam à praeseruatione. Neq; verum est quòd Galenus istud dixerit alicubi. Et ideo Praeceptor, bona eius venia, falso vel intelligit, vel citat Galenum. Quòd si dixerit, curationem post effectricis causae cognitionem statim se exibere, verum vtiq; dixit: quoniam praeceptum suum est, quòd

Metho-

Methodus curatiua morborum pendentium à causa est, vt primum remoueatur causa, per cuius remotionem inhibetur ne fiat quod erat in fieri: quæ remotio propriè prouidentia, vel præcustodia, aut præuisio vocatur, qua sublata oportet deinde quòd factum est remouere, cuius remotio dicitur propriè curatio. Adeo quòd secundum Galeni sententiam principium curationis horum morborum est remotio causæ; non tamen hæc est curatio; sed ordinatur in curationem, & proinde separatur ab ea. lib. 4. metho. cap. 4. & alibi vt supra.

Altera ratio Præceptoris adnexa tertiæ rationi principali tollitur, negando quòd illud quod per ablationem causæ aufertur, dicatur & sit morbus: quoniam si ita esset, nō dixisset Galenus prius abscindendam esse causam, & postea ægritudinem factam. in ar. med. cap. 89.

Sed contra instat Preceptor, quoniam posita causa ponitur effectus, & remota remouetur. Igitur posita causa morbi ponetur morbus, & remota remouebitur. Igitur quod per ablationem causæ aufertur erit morbus.

Respōdeo vt prius dixi, quòd posita causa ponitur fieri & generari illius rei, cuius dicitur causa; sed nō

ponitur ea res ſimpliciter in eſſe permanente, ſed in motu & eſſe ſucceßiuo; quoniam hoc modo cauſa habet relationem ad ſuum cauſatum, & ſic poſita cauſa morbi ponitur morbus in fieri & motu; & remota remouetur pariter morbus, qui eſt in fieri & motu, qui non eſt aliud quàm pathos, & non qui eſt in eſſe permanente, niſi interdum ex accidenti, ut ſupra dixi, cum uidelicet affectus præter naturam læuiter inhæſerit corpori. Sed non licet inferre. Igitur morbus, qui eſt in fieri, eſt uerè & propriè morbus: quoniam ut eſt in fieri & motu, debet dici pathos, & non morbus.

Ad ſecundam rationem eidem adnexam dico falſum eſſe, quòd morbus uerè et propriè ſit id, quod per ablationem cauſæ aufertur. Vel ſaltem dubium eſt, & petens id quod eſt in principio, nempe morbum ut eſt in motu eſſe uerè morbum.

Sed contra inſtat Præceptor, quoniam omnes fatentur morbum habere cauſam. Igitur ille erit uerè morbus, qui per poſitionem ſuæ cauſæ ponitur, & per eius ablationem aufertur. Si igitur cauſa non poteſt eſſe morbi facti, quum per eius remotionem nō

remoue

remoueatur. Erit igitur fientis in eo quod fiens est, aliter causa non diceretur causa morbi.

Apparet ex iam dictis quid sit respondendum: quoniam omnes fatentur morbum verum & proprium habere causam suæ generationis, & non suæ permanentiæ: quoniam causa efficiens intendens verum morbum producere, incipit ipsum efficere, & quandiu efficit, tandiu morbus est in via ad suam perfectionem, ad quam tendit. Quare in toto isto tempore morbus non est verè morbus; sed est in via ad perfectionem, & posita ea causa, non ponitur nisi eius actio, quæ est generatio & productio morbi, & remota consimili modo remouetnr actio, quæ est generatio morbi vt est in motu; sed quicquid factum est de morbo non tollitur per ablationem causæ: quoniam ex se permanet independens à causa.

Tertia etiam ratio eidem annexa habet illud falsum, quòd morbus sit id cuius dicitur, & est causa. Sed contra instat: quoniam dictum est ex Galeno, quòd prius oportet abscindere causam morbi. Erit igitur id, cuius est causa, verè morbus; Et cum non sit causa nisi fientis. Igitur fiens vt fiens erit verè mor-

bus, aliter morbus non haberet causam.

Apparet etiam ex dictis solutio ad hanc instantiam: quoniam dictum est morbum habere causam suæ generationis, quam præcipit Galenus abscindendam esse, postea siquid permanens fuerit in corpore, pariter abscindendum esse iubet. Et sic stat falsitas illius propositionis dictæ: quoniam morbus non habet nisi causam suæ generationis, & ideo vt est in fieri & motu, non poterit dici verè morbus, sicut nulla res quæ est in motu potest dici verè talis, vt ad eum motum pertinet.

Deueniendo ad quartam rationem principalem, dico concedendo quòd omnis res similaris protinus ab initio suæ generationis propriam obtinet naturam & essentiam: quoniam quod partes non habet, neq; figurationem vllam ex postulat, breuißimo quodam temporis spacio, vel etiam propemodum in instanti generationem sortitur; sed res similaris partes non habet, neq; vllam figurationem. Quarè breuißimo temporis spacio, aut prorsus in instanti generationem obtinebit, atq; sic propriam naturam & essentiam, vt Galenus scriptum reliquit. Verum est etiam, quòd

in lib. de generalibus morborum temporibus cap. 1. & 2

mor

morbus est res similaris, & protinus ab initio propriam obtinet essentiam, & hoc quidem vel secundum rei naturam, cum videlicet adeò exiguus est, vt neq; à medico cognosci, neq; laborantium sensu percipi possit; siquidem tunc etiam morbus sit secundum rei veritatem: quoniam ex natura rei quamprimum homo remouetur à commoderatione & à sanitate, statim cadit in incommoderationem & morbum, & nihil intercidit: & etiam secundum iudicium sensus; siquidem quamprimum homo sensibiliter læditur in consuetis operationibus, iudicetur Aeger; non tamen verum est, quòd quamprimum morbus sensibiliter læserit operationes, totam suam perfectionem & essentiam non obtineat: sed in processu eam magis acquirat. Et quod adducitur de animali, quòd ab initio sui ortus totam essentiam animalis obtinet; in processu tamen pro suis munijs obeundis in dies maiorem perfectionē acquirit, & est semper animal toto eo tempore, quo augetur. Quare etiā morbus, licet maiorem perfectionem acquirat, semper tamen erit morbus toto eo tempore, quo eam perfectionem acquirit.

Respon

Perfectio duplex.

Respondeo quòd perfectio est duplex, vna essentialis, altera accidentalis. Perfectio essentialis est finis generationis rei, estq; forma et essentia illius, cuius dicitur perfectio, per quam res habet proprium esse, & existit. Accidentalis autem est finis auctionis & magnitudinis rei ad perfectionem operationum illi conuenientium, per quã res habet benè esse. Loquendo itaq; de prima perfectione, concedendum est hanc protinus ab initio generationis rei totam acquiri; sed de altera non nisi in processu: quoniam hæc non terminat essentiam rei; sed quantitatem & intensionem. Quapropter per primã perfectionẽ animal est animal & morbus est morbus, non per secundã. Et ob id sequitur quòd morbus est morbus, eo quia est res permanens per essentialem suam perfectionẽ iam acquisitam, sicut etiam de animali dicendum est. Nec obijciat mihi aliquis quòd in his quæ sunt præter naturam, veluti in morbis dixerim, perfectionẽ inueniri: quoniam, ex Aristotelis sententia, licet interdum perfectionis nomen ad mala trasferre. ad quem modum dicere solemus aliquem esse perfectum calumniatorem, quòd nihil ille deficiat eorum, quæ bono calumnia-

Perfectio ĩ his quæ sunt preter naturã quo modo reperiatur.
lib. 5. metha. phy. t. 21.

luminiatori ineßse debent. Ideoq; morbum perfectum esse dicmus cũ ad eam intensionem et vehementiam peruenerit vt nihil naturæ suæ deficiat pro destructione substantiæ corporis.

Sed contra instaret aduersarius: quoniã morbus cum augetur est morbus per id quod acquisitum est, hoc est per essentialem perfectionem iam acquisitam. quarè cum erit in motu, & in augumento, erit etiam morbus.

Dico concedendo quòd morbus cum augetur & intenditur est morbus: quoniam perfectio accidentalis præsupponit perfectionem essentialem: quoniam nullum accidens potest aduenire nisi enti permanenti & actu existenti, vt accidens accidenti accidere potest. si itaq; morbus augetur vel intenditur, necessariò præxistit in corpore. & sic concedo quòd morbus cum est in motu auctionis, est morbus, & res permanens in corpore propter essentialem perfectionem iam adeptam. Non tamen quòd morbus, qui est fiens & in motu, vt fiens est quoddam tertium distinctũ ab eo quod est iam factum & permanens, & ab eo quod est in fieri, sit verè morbus, vt vult Præce-

ptor, ſicut non eſt poßibile quòd illud quod eſt accidentale, efficiatur eſſentiale. Et ideo conſiderando morbum vt eſt in motu auctionis, & vt diſtinguitur à ſemetipſo vt petmanens eſt, & ab eo quod eſt in fieri de ipſo, nunquam poterit Præceptor, nec aliquis alter concedere morbum hoc modo conſideratum eſſe verè morbum. Sed bene erit verè morbus, ſi conſideretur vt habet partem factam & permanentem, & eam perfectionem eſſentialem, per quam eſt ledens functiones corporis: quoniam omne quòd habet partem factam, & partem futuram fieri, non eſt actu tale niſi per partem factam; ſed morbus pendens à cauſa habet partem factam, & partem futuram fieri. Quare morbus pendens à cauſa non erit actu talis, nec verè morbus niſi per partem factam.

Sed dicit præceptor falſißimum eſſe quòd omne quod habet partem futuram fieri, non poßit dici eſſe actu tale niſi per partem factam: quoniam quod eſt in motu & ſucceßione, dicitur eſſe tale per ſucceßionem & motum: dicimus enim tempus eſſe in actu, & ſi nulla ſit eius pars facta, ſicuti & dolorem, &

actionem

actionem, quæ dum fiunt sunt, & dum non fiunt nō sunt: sed tamen sunt in actu successiuo. Sic dicendū de morbo fiente vltra factum futurum fieri habere esse successiuum, à quo non parua sumitur indicatio.

Sed credo Præceptorem multo magis à veritate recedere, quàm ego recedam in mea ratione adducta: quoniam concedunt omnes Peripatetici entia esse in duplici discrimine, quædā permanentia, & alia successiua, & Permanentia ea dici, quæ habent complettum esse extra animam citra omnem dependentiam ab alio, esseq; entia quæ digito monstrari possunt. Successiua verò nullum verum esse extra animam habere; sed omne eorum esse completum & verum pendet ab anima. Quæ in duplici etiam ponuntur discrimine; alia esse simpliciter successiua, veluti tempus, & omnis motus, quæ entia non sunt nisi cum fiunt, & cum non fiunt non sunt, & nullum perfectum esse habent extra animam, sed omne eorum esse pendet ab anima; alia esse successiua secundum quid, quæ possunt etiam dici secundum quid permanentia, & sunt entia; quæ ex sui natura permanen-

Entia vel permanentia vel successiua.

Permanentia.

Successiua.

Entia successiua vel simpliciter vel secundum quid

tia sunt: tamen quia sunt in fieri & motu, ob id dicuntur esse successiua: quia sunt in motu & esse snccessiuo. Et hæc entia cum sunt in motu, & habent aliquid sui factum, dicuntur habere propriam naturam merito eius quod factum est: quoniam ex sui natura sunt permanentia; quia tamen sunt in motu, dicuntur esse successiua, vel existere in esse successiuo. De quorum entium numero existit morbus fiens: qui cum sit ex sui natura de numero constantium & permanentium, si aliquid illius fuerit fafactum, vtiq; totam & propriam eius essentiam habebit ex parte eius quod factum & permanens fuerit. Veluti gratia sermonis, si caliditas sit de numero permanentium, & sit in fieri & motu, & eius aliquid sit factum, vtiq; hæc caliditas iam inducta totam essentiam & naturam caliditatis obtinebit; vt autem est in motu & successione nequaquam: quoniam cum ex sui natura sit ens permanens & in esse permanenti suam obtineat essentiam, sicut reliqua permanentia, non poterit vnquam ratione eius quod est in fieri eam obtinere. Quoniam quod alicui inest sub vna dispositione, nunquam illud idem

lud idem

lud idem poterit eidem ineße sub alia dispositione; sed natura entis permanentis, veluti caliditatis, inest ipsi caliditati sub esse permanente & facto: & ideo eadem natura non poterit eidem caliditati inesse sub esse succeßiuo.

Et ex his apparet, quòd verißima est & non falsißima mea propositio, quòd omne quod habet partem factam, & partem futuram fieri, non potest dici esse actu tale nisi per partem factam. Et quod est in motu, et succeßione, si fuerit de numero permanentium non potest dici esse actu tale per ipsam succeßionem & motum; sed solummodo per partem factam. Et quòd entia succeßiua simpliciter, sicut tempus & motus, nullum verum esse dicuntur habere extra animam, vt credit Præceptor. Et sic sequitur quòd morbus fiens habens partem factam, & partem quæ est in fieri & motu, non est vere morbus nisi per partem factam; per esse verò succeßiuum, hoc est per partem quæ est in fieri, nihil eßentiale acquirit morbus; sed solummodo accidentale, vt dictum est prius.

Præter hoc etiam quod hallucinatur Præceptor, cum exi-

cum existimat in morbo fiente præter factum & futurum fieri dari successiuum distinctum à futuro fieri ipsius; quandoquidem quod est in potentia coniuncta actui est in fieri & successione, & quod est futurum fieri de fiente est in potentia coniuncta actui. Quapropter quod est futurum fieri de fiente erit in fieri & successione, et ob id futurũ fieri de fiente, & esse in successione erunt idẽ, de quo etiam fuit priùs dictum.

Ad quintam rationem, quam vult Præceptor esse adamantinam, facilis est responsio, si dicamus bifariam posse intelligi Morbum qui est in fieri habere tempora nempe vel de morbo qui est simpliciter in fieri, quo intellectu falsum est eum habere tempora: quoniam quod non est non potest subijci tempori; at morbus simpliciter fiens non existit. quare neq; tempori, neq; villi motui aut accidente poterit subijci, vt accidens accidenti intelligitur subijci, vel de eo qui est secundum quid in fieri, qui per partem iam factam & productam in esse dicitur affectus permanens, de quo quidem verificatur quòd habet tempora: at non per se primò & secundũ intrinsecam rationem mor-

nem morbi; sed ex accidenti & secondariò, vt videlicet à causa efficiente dependet: quoniam morborum tempora per se sunt motiones causæ efficientis, morborum tempora sunt per se motiones causæ morbificæ, & quoniam quatuor sunt motionum differentiæ. Ob id quatuor etiam dicuntur esse morborum tempora. Vbi enim motio quædam, quæ prius non erat nobis in esse, incipit, atq; ita diuexat, vt sensibiliter homo in suis functionibus sit impeditus, Initium morbi dicimus esse; si vlterius motio procedat, crementum; si crementum consistat summus morbi impetus, cùm motio imbecillior redditur atq; decrescit, remissio nominatur, veluti Galenus adnotauit. Ex accidenti tamen dicuntur esse motiones morborum: quoniam non horum essentiam, sed materiam in qua consistunt consequuntur, dum hæc motioni causæ efficientis subijcitur, quæ quoniam ex accidenti variat essentiam morbi, siquidem ex varia mutatione materiæ, contingat constitutionem corporis magis aut minus præter naturam affici, & eiusdem functiones etiam variè lædi, ob id etiam nō nisi ex accidenti illæ motiones inerunt ipsi morbo, ve

in lib. de quatuor temporibus morb. in. 1

luti manifestum est si ad animal transferatur sermo ex Galeni sententia: quoniam quamprimum Animal obtinet propriam naturam, statim subijcitur auctioni, statui, & diminutioni; quæ sunt illi mutationes accidentales per se consequentes & variante, materiam, sed non formam; siquidem ex necessitate materiæ hæ, & similes aliæ mutationes eueniant.

Quid sit respondendum ad sextam, quam etiam Præceptor existimat esse adamantinam, euidens est ex ijs, quæ prius dicta fuere pro responsione ad secundam rationem principalem, in remouendo secundam instantiam contra eandem factam. Quapropter eò recurrendum est

Pro responsione ad septimam & vltimam rationem negandum est quòd morbus, qui est in fieri & motu, sit affectus præter naturam lædens functiones corporis, accipiendo hunc morbum pro parte quæ est in fieri, & non pro parte facta & permanente: quoniã si hoc modo acciperet vt esset verè morbus, veluti pluries dictum fuit; sed illo modo non, quemadmodum intelligit Præceptor morbum fientem, vt fiens

est

est, seclusa parte facta, esse verè morbum, & esse affectum præter naturam lædentem functiones corporis, & non rectè quidem: quoniam affectus positus in definitione morbi est mutatio stabilis, siue res constans & permanens per mutationem præter naturam acquisita; sed morbus qui est in fieri & motu non est talis affectus constans & permanens, quẽadmodum Præceptor etiam concedit. Quapropter non erit verè morbus. Sed contra hoc instat: quoniam affectus non solum denotat nobis id quod permanens est, & à causa independens; sed etiam id quod à causa dependet ex Galeno in hunc modum scribente. libr.1. de loc. aff. cap.2.
" Non solum putare oportet huiusmodi humorem esse
" causam doloris; verum partem quoq;, in qua conti-
" nebatur, illo tempore affectam, quo ob humoris præ-
" sentiam dolore cruciabatur. Tum ex Cicerone, qui affectionem diffiniens, dixit quòd est animi, & corporis ex tempore aliqua de causa mutatio, vt sunt gaudium, lætitia, misericordia, cupiditas, mœtus, molestia, & alia quæ modò affectus, modò perturbationes dicũtur à latinis. Affectus quid ex Cicer. sñtia Affectus itaq; poterit verè de morbo à causa dependente dici: quod à multis negatur.

Y

Respondeo ad primam instantiam, quòd Galenus ibidem accepit nomen affectus in propria significatione, ut idem est quod pathos dependens à causa: in qua significatione partes affici dicimus, cum motum substinent præter naturam; sed in hac significatione non accipitur in definitione morbi, sed quatenus alterationem, aut mutationem permanētem significat, postquam alterans, aut mouens causa ab omni mutatione quieuerit.

Sed contra inquit Præceptor: quoniam hæc merè voluntaria potius videntur, quàm ratione, vel auctoritate dicta, propterea quòd cum morbus in fieri sit affectus, propriè sequitur quòd sit morbus.

Sed an mea dicta voluntaria sint, vel ratione, & auctoritate corroborata, potest quicunq; facile deprehendere ex ijs, quæ habentur in quæstione Præceptoris impressa, & an loca citauerim, ex quibus excerpsi omnia per me adducta, quæ etiam supra in hac mea quæstione adduxi, cum definitionem morbi explicarem. Deprehendet quoq; affectum propriè acceptum non poni in definitione morbi, & morbum in fieri seiunctum à parte facta non esse morbum, ut pluries dictum fuit.

Sed

Sed ad alteram instantiam accedamus, & licèt præter institutum medici esse videatur, velle Ciceronem Eloquentiæ patrem vt aduocatum quærere in hac quæstione, nihilominus vt ostendam Præceptorem etiam non habere ex eius dictis quod ipse credit, dicam quid sentit Cicero.

Voluit nimirum affectionem esse animi & corporis ex tpore aliqua de causa cõmutationem, & cum morbus sit affectio, sequitur ex Ciceronis sententia morbum esse huiuscemodi mutationem, quæ à causa dependet. Quod sanè concedendum est: quoniam morbus pendens à causa non est verè morbus; sed est pathos: pathos autem est mutatio & alteratio. quarè etiam morbus taliter acceptus erit mutatio. Diffiniuitq; Cicero affectionem propriè acceptam; quæ tamen à Galeno non accipitur in ratione morbi: quoniam hæc est res permanens; quam verò definiuit Cicero est res successiua. veruntamen si vellemus etiam Ciceronem intelligere in suis verbis de affectione pro re permanente, sensus suorum verborum erit talis, quòd affectio est animi & corporis ex tempore aliqua de causa cõmutatio, hoc est sequens ad cõmutato

lib.1. de inuẽtione reth.cap de confirmat. & lib.2.eiusdẽ in calce.

Morbum añi esse affectum permanentem ex Cicer.sñtis

nem factam, siquidem facta mutatione præter naturam in corpore suboriatur affectio, quæ est morbus corporis, & est res permanens, sicut etiam facta mutatione animi præter naturam, hoc est facta à tota mente, & à recta ratione defectione: quæ non est aliud quàm intemperantia, nascatur perturbatio, & morbus animi. Sicut euidenter voluit Cicero, qui postquam declarauit intemperantiam esse fontem et causam omnium perturbationum, quibusdam interpositis subdit. Intelligatur igitur perturbationem iactantibus se opinionibus inconstanter & turbide in motu esse semper: quum autèm hic feruor concitatioq; animi inueterauerit, & tanquam in venis, medullisq; insederit, tum existit & morbus & ægrotatio. Hæc Cicero. Ex quibus verbis habetur perturbationem non esse morbum; sed pathos, veluti etiam antea dixerat, & affectum qui est in fieri, & à causa dependens, non esse morbum; sed solummodo cum inueterauerit, & corpori insederit: cuius oppositum credit Præceptor ex Ciceronis sententia.

intemperantia quid.
lib. 4. Thusc. q. post princ.

Sed instat primò: quoniam Cicero concedit morbum pendentem à causa esse affectum; quod sanè

Præceptor

Præceptor intendit habere ex Cicerone, vt ex dictis apparet. igitur &c.

Secundò quoniam chymericum est, & voluntarium dicere quòd affectio est mutatio, hoc est sequitur ad mutationem. Quod clarißimè habetur ex Galeno asserēte mutationem animi, dum est in fieri, esse affectum, & non solum cum facta est perturbatio. & cum ex Galeno istud habeatur (inquit Præceptor) cui fides maior adhibenda est in hoc, quàm Ciceroni? nō est vt de Cicerone longus habeatur sermo. in lib. de affe. animi agnitione & curatiōe

Sed ex ante dictis tollitur prima instantia: quoniam conceditur morbum pendentem à causa esse affectum in ea significatione, & etiam pathos; sed non vt rem permanentem significat, quo modo definitur morbus à Galeno, quòd est affectus præter naturam. Et ob id nihil habet Præceptor: quoniam sicut constanter negatur morbum pendentem à causa, seclusa eius parte facta, esse verè morbum, sic etiam constanter negatur affectum diffinientem morbum non esse mutationem permanentem.

Secunda etiam tollitur: quoniam quemadmodū Aristoteles dixit generationem esse formam, hoc est lib. 2. physico t. 14.

ad ge-

ad generationem ſequi formam, ſic etiam in ſimili poteſt intelligi, quòd affectio eſt mutatio, hoc eſt ad mutationem ſubſequitur affectio. Quapropter, ſi quod dixi chymericum eſt, etiam dictum Ariſtotelis erit chymericum.

Et quod citat ex Galeno, concedo Galenum in ea ſignificatione accipere nomen affectus aliquando, vt ſemper conceſsi; ſiquidem dixerim apud Galenum variè accipi nomen affectus: non tamen concedo Galenum diſſentire à Cicerone, & non velle morbum animi eſſe affectum permanentem. Quod ſanè clariſsimè voluit, quum de mente Platonis in Sophyſta declarauit quid ſit ſanitas animi, & quid morbus, & dixit ſanitatem & morbum animi ſimilitudinem habere cum ſanitate & morbo corporis: quoniam vt iſtius ſanitas eſt æquabilitas & ſymmetria calidi, frigidi, ſicci, & humidi, & morbus ametria & inæquabilitas eorundem, ſic etiam ſanitas animi eſt æquabilitas ſimplicium partium animæ, ex quibus integratur, & morbus eſt diſcrepantia & diſſenſio, ſiue, dicit Galenus, diſcordia, ac ſeditio earumdem partium

lib.v.de Hip. & Plat.decre.

animæ

animæ. Quocirca ſicut ſanitas & morbus corporis ſunt affectus permanentes, ſic etiam de animi ſanitate & morbo dicendum eſt; ſiquidem æquabilitas, aut inæquabilitas plurium rerum inſimul ſit res ſtabilis & permanens. Ad quod fortè animaduertens Præceptor, & videns Ciceronem id velle, quod dixi ex verbis citatis, eum deſerit, quem prius pro aduocato accerſierat, & Galeno vult adhærere, acſi aliter ſentiat.

Falſa eſt itaq; ea propoſitio rationis principalis adductæ, quòd morbus qui eſt in fieri & motu ſit affectus præter naturam, qui diffinit morbum. Sed hanc probat Præceptor: quoniam læſio ſenſibilis non accidit ſine alteratione, quoniam tandiu ſentimus, quan diu ſumus in alteràtione ex Galeno. Igitur morbus fiens erit affectus lædẽs functiones corporis. Quæ probatio poteſt taliter reduci ad formam ſyllogiſticam. Omnis affectus ſenſibiliter lædens eſt cum alteratione & motu; Morbus eſt affectus ſenſibiliter lædens. Igitur morbus erit cum alteratione & motu. Et quoniam morbus qui eſt in alteratione & motu eſt fiens. Igitur hic morbus fiens erit affectus præter naturam

in lib. de inæquali intemperie cap. 6.

lædens

lædens operationes, & sic erit verè morbus.

Cui respondendo dico, quòd verum est quòd omnis affectus sensibiliter lædens est cum alteratione & motu subiecti & corporis, in quo ille fundatur; sed non quòd sit cum alteratione sui: quoniam ille affectus non est in alterari & in fieri; sed est iam factus vel simpliciter, vt hectica; vel secundum quid, vt affectus pendens à causa, & est alteratio iam quiescens, & permanens in corpore. Et hoc modo etiam conceditur quòd morbus est cum alteratione & motu: quoniam si debet lædere functiones corporis, & producere reliqua sua symptomata, est necessarium vt alteret & mutet corpus. Et quoniam non potest alterare corpus, nisi in eo permaneat & consistat, ob id debet morbus subsistere in corpore, & debet etiam esse in motu actiuo, & non paßiuo.

Morbus quō dicatur esse in motu.

Confirmabatur testimonio Aristotelis in problematibus quòd morbus est in motu, & sanitas in quiete, & testimonio Galeni quòd morbus est motus præter naturam.

lib.1. de loc. affec.

Ad quam confirmationem dicendum est ad Aristotelem & Galenum simul, quòd si morbus consi-

deretur

consideretur vt est in fieri secundum quid, sic dicendum est ipsum esse motum, hoc est esse rem, quæ per motum acquiritur; siquidem causa morbi continuò alterans & immutans corpus deducat ad actū quod erat in potentia fieri, & efficiat morbum. Et sic verificabitur quòd morbus est motus, hoc est, est res per motū acquisita; sed si consideretur vt est in facto esse, tunc dico illud verificari, quòd morbus est motus, hoc est, est efficiens motum & alterationem: quoniam cum morbus alteret & immutet corpus in quo est, adeò quòd hectica etiam depascit & alterat corpus eam habens, neq; sit vlla differentia, nisi accidentalis, quòd vnus morbus magis, aut minus altero immutet; & omne alterans & immutans sit causa efficiens motum & alterationem, vtiquæ morbus erit motus, hoc est, erit causans & efficiens motum: quoniam est causa alterationis corporis, & omnium suorum symptomatum; &, prout dictum est, est in motu actiuo, & non paßiuo. Et qualitercunq; consideretur semper sequitur quòd sit consistens in corpore: quoniam cum est in fieri secundum quid, habet partem factam per motum acquisitam. Et cū

Morbus quō-do dicatur esse motum prę ter naturam

est in facto esse, est alterans corpus. Igitur omni modo morbus erit permanens in corpore.

Sed instat Præceptor cõtra vtrumq; intellectum. Et contra primum quidem: quoniam, dato eo intellectu, sequeretur Aristotelem, & eius expositores delirasse: quoniam ad eum sequeretur, quòd si morbus est motus, idest est res per motum acquisita, quòd motus esset quies, quod est absurdum.

Sequeretur etiam quòd sanitas esset motus, & non quies, vt dicit Aristoteles: quoniam sanitas est res, quæ etiam per motum acquiritur & alterationem, sicut morbus.

Præterea sequeretur etiam quòd sanitas efficeret sanitatem, sicut morbus morbum: quoniam cum Aristoteles quærat cur à nonnullis morbis ægrotant qui appropinquant; à sanitate verò nemo sanetur. Et respondendo dicũt, quia morbus motio est; sanitas autem quies, vt velit esse aliquem morbũ contagiosum, qui inficiat qui appropinquant; quoniam sit in motu, & alteratione. Sequitur quòd si morbus est motus, hoc est res acquisita per motum, & sanitas etiã hoc modo sit motus, quòd sicut morbus morbum causat,

ut innuit Aristoteles, sic etiam sanitas sanitatem causabit, quod absurdum est.

Contra secudum intellectum sic instat: quoniam Aristoteles ibi non de causa; sed de morbo, & non ut morbus ipse persistit, & est in facto esse; sed ut est in fieri & motu loquitur.

Præterea dicere quòd Aristoteles accipiat morbum pro causa, est maximè à veritate alienum: quoniam nullus est, qui asserat causam lædere operationem, cũ id sit munus morbi, & per eam definiatur. Et simi liter ipse est causa symptomatum, quæ sequuntur ut umbra corpus. Quare neq; dicendum quòd ut sic non sit in motu paßiuo, sed actiuo; morbus enim est, qui suo motu alterat ægrotantem, & lædit eius operationes, & non eius causa. Et licet corpus secundũ partẽ sit semper in alterato esse; non est tamen, quin morbus ut est in fieri & alterari, ratione ipsius fieri non alteret corpus, & operationes lædat.

Sed remouendo has instantias est dicendũ ad pri mam contra primum intellectum negãdo quòd sequatur ad Aristotelem motũ esse quietem; sed bene sequitur quòd res acquisita per motum sit res quiescens

& permanens. Et hoc quidem nunquam faciet Aristotelem, aut eius expositores delirare; veluti etiam si concedatur sanitatem introductam à medico esse motum, hoc est, esse acquisitam per motum.

Sanitas quomodo posit dici motus secundum naturam.

Sed contra, quoniam vt sic non differret sanitas à morbo; quoniam ambo erunt motus. Respõdeo quòd quàm maximè differunt: quoniam sanitas est motus secundum naturam, hoc est res acquisita per motum naturalem; morbus verò est motus præter naturam, hoc est, res acquisita per motum præter naturam.

Ad secundam instantiam contra eundem primum intellectum adductam Respondeo, quòd sanitatem efficere, sanitatem potest bifariam intelligi, vel quòd sanitas in proprio subiecto posit causare sanitatem, vel in alieno; si in proprio, vt sic concedendum est vt quodam quàm maximè verißimum & necessariũ. Quoniam sanitas, quæ per alterationem proprij subiecti nascitur, oritur non solum ab extrinseco, hoc est à medico eam inducente sed etiã ab intrinseco: quoniã à sanitate præexistente; & verius ab hac, quàm à medico, siquidem necessarium sit, quòd si debet pristina sanitas recuperari, quòd præsint in corpore seminaria

Sanitas quomodo sanitatem efficiat.

minaria

minaria sanitatis, à quibus ea restituatur; quoniam nunquam potest tota sanitas ab exrtrinseco de nouo restitui, neq; medicus de nouo totam facit sanitatem, sed solũmodo remouet quæcunq; eius instaurationem impedire possunt.

Neq; obstat quòd Aristoteles dixerit sanitatem non esse factiuam causam, sed id cuius gratia: quoniam per factiuam causam intellexit eam, quæ est vnde principium motus, quæ est remota & extrinseca causa sanitatis, & non illud quàm medicus: merito cuius sanitas dicitur finis & id cuius gratia; sed causa intrinseca est dispositio mei corporis secundum naturam: quæ ab intrinseco peruenit ad suum complementum & pristinam perfectionẽ, postquàm medicus vt causa extrinseca remouerit quæcunq; erant illi impedimento, ne suam perfectionem recuperare posset. Si vero intelligatur, quòd sanitas in alieno subiecto poßit sanitatem efficere, hoc sane modo absurdum & inconueniens est. In quo intellectu dixit Aristoteles sanitatem esse quietem: quoniam ita appropriatur corpori cuius est, & illi insidet, estq; ei ita cõnata, vt nulli alteri appropriaretur, nequæ de

lib.1.de gene. & c. responsione .t.55.

vno

vno in aliud corpus migrare poßit. Sed morbus quoniam est res præter naturam, & aliena corpori cuius est, non est mirum si in vno corpore subsistens poßit esse causa affectionis alterius corporis mediante aere prius mutato, & præcipuè si fuerit contagiosus, vt dicit Præceptor Aristotelem velle. Quòdsi etiam intelligat de omni morbo, vt postea dicit Præceptor in vltima sua defensione eum intelligere, idem erit dicendum: quoniam semper erit morbus forma accidẽtalis, & extranea huic corpori in quo est, & ob id potest aliud corpus inficere: quoniam à corpore iam infecto & ægrotante possunt decidi putridi effluxus aerẽ inquinantes, qui ad propinquũ corpus peruenientes illud inficient, & à suo naturali statu permutabunt. Et quoniam nihil potest ab aliquo corpore decidere, nisi prius in eo constiterit, ob id sequitur quòd ipse morbus erit permanens, & in eo corpore consistens, à quo illi effluxus putridi decidunt.

Et ex iã dictis apparet veritas dicti Aristotelis, quòd morbus est motio; sanitas autem quies: quoniã morbus, cum sit forma accidentalis, hoc est præter materiã potest esse in motu, vt aliud corpus inficiat;

ſanitas autem quies: quoniam cum hæc ſit forma naturalis & intrinſeca corpori cuius eſt, non poteſt eſſe in motu, vt aliud corpus ſanet: quoniam non eſt alterius corporis propria. Et pro veritate dicendum eſt, quòd ſicut morbus ab Ariſtotele dicitur motio; ſic etiam ſanitas debet dici motio: quoniam contraria debent ſub eodem genere poni; & quoniam morbus & ſanitas ſunt oppoſita. Ob id debent ſub eodem genere reponi. Quare ſi morbus ponitur ſub genere motus, etiam ſanitas ſub eodem locabitur: nam & ipſa eſt formæ fluxilis. Quòdſi Ariſtoteles dixerit eam eſſe quietem, intellexit, prout dictum eſt, & loquutus fuit per comparationem ad ipſum morbum.

Sed contra inſtat Preceptor reſpondendo, & primò quòd licet verũ ſit, quòd ſi ab aliquo aliquid effluat, quòd illud debeat in motu & alteratione perſiſtere; non tamen eſt verum quòd debeat conſiſtere: quoniã cum ſanitas perſiſtat, cauſaret ſanitatem, contra Ariſtotelis mentem, et experientiam. Ratione igitur motus & alterationis morbus inficit, & non quia conſiſtat.

Secundò, & fuit ratio quã adduxit in ſecunda

ſua

ſua defenſione. Omnis morbus cōtagioſus & qui inficit, eſt verè & propriè morbus; omnis morbus contagioſus & infectiuus eſt in fieri & motu. Igitur morbus qui eſt in fieri & motu, eſt verè & proprie morbus. Non itaq; vt conſiſtit.

Tertiò in ſatisfaciendo ei rationi, quòd ſanitas etiam debet eſſe in motu, dicit quòd verum eſt quòd oppoſita debent poni ſub eodem genere remoto; ſed non proximo. Quapropter ſanitas & morbus locabūtur ſub eodem genere remoto, & non proximo. Et ſic ponuntur ſub genere qualitatis, vt ſub genere remoto; morbus tamen reponetur ſub motu tamquam ſub genere ſuo proximo, & ſanitas ſub quiete. Quibus ſatisfaciendo reſpondeo ad Primam, quòd conſequentia tenet à tertio adiacente ad ſecundum, nulla appoſita dictione diſtrahente, aut diminuente ſignificatum termini, cui apponitur, veluti Ariſtoteles declaratum reliquit; ſiquidem rectè valeat. Socrates eſt homo. Igitur Socrates eſt. Non tamen Socrates eſt homo mortuus. Igitur ſocrates eſt. Quoniam illa dictio, mortuus, diſtrahit hominem, cui apponitur, à ſuo vero ſignificato. Neq; etiam valet, Socrates eſt homo albus ſecundum

lib. 2 de interpretatione.

cundum dentes. Igitur Socrates est homo albus: quoniam illa dictio, secundum dentes diminuit significationem albi, cui additur; si tamen dixero homo est in motu. Igitur homo est. Optime valet consequētia: quoniam motus non distrahit, neq; diminuit existentiam hominis. Sic etiam in proposito hæc consequētia valebit. Morbus existit in motu & alteratione. Igitur morbus existit: quoniam est de numero permanentium. & cum Præceptor probat falsitatem consequentiæ: quoniam tunc sanitas efficeret sanitatem; quoniam sanitas existit, quid sit ad hoc dicendum, apparet ex iam dictis: quoniam sanitas in proprio subiecto potest sanitatem efficere; sed non in alieno.

Ad secundum respondendo nego quòd morbus cōtagiosus & infectiuus sit in fieri & motu: quoniā hic morbus, vt inficit, non est in fieri; sed in facto esse, & est iā consistens in corpore, à quo illi putridi effluxus decidunt. Sed instat Præceptor quòd illud est dictum Aristotelis: quoniam asserit Aristoteles idcirco morbum inficere, quoniam motus est. Ex eo igitur quia est in motu & alterari inficit: nam si alio modo inficeret, non differret à sanitate. Sed est

euidens ex iam dictis, quòd Aristoteles intellexit morbum esse motionem & alterationem corporis in quo consistit, & alterius etiam proximi quod inficit, interueniente aere prius infecto a vaporibus defluxis; siquidem morbus quicunq; in intemperie consistens semper alteret, mutet & depascat, corpus patientis: quamuis hæc alteratio in aliquo sit adeò parua, vt prorsus non sentiatur, vt in patente Hecticam: in alio
diff.73. verò sit magna, veluti recte adnotauit Conciliator, quem Præceptor sectatur. Et hoc quidem verum est, inquit ille, quietata omni causa morbi, & sic morbus, vt est à causa indepēdens, est motus & alteratio corporis. Non igitur vt est in fieri.

Et ex his apparet quòd quæ adducit Præceptor contra secundum intellectum nullius sunt momenti: quoniam concedunt omnes quòd morbus sit causa mutationis qualitatum corporis, & omnium suorum symptomatum etiam, & quòd etiam continuò immutet corpus, remota omni morbifica causa, propter inequalitatem intemperiei: cuius gratia aliquæ partes corporis agunt, & aliæ patiuntur, ut Galenus asserruit. Qua de causa etiam magna ex parte

febres

febres hecticæ ex ardentibus fiunt, vt illæ met etiam scriptum reliquit. Quumq; velit etiam morbum ex morbo nasci, quid mirum erit si morbus rationem causæ obtinebit? Non ab re igitur dicendum est tunc morbum esse in motu actiuo & non paßiuo.

In de inequali intemperie cap. 6.

primo de feb. diff cap. 8.

Præterea ex sola terminorum significatione apparet falsitas illius propositionis: quoniam ex cõmuni Grãmaticorum sententia nomina terminata in vus, vel in vum significant actionem: terminata vero in bilis, vel in bile paßionem Morbus itaq; infectiuus & contagiosus actionem, & non paßionem significabit. Erit itaq; in mouere & in alterare corpus, & non in moueri & alterari; atq: sic neq; in fieri. Quapropter falsa erit ea propositio assumpta.

Ad tertiam instantiam respondendo, dico quòd contraria debent poni sub eodem genere non solum remoto; sed etiam proximo, & hoc quidem quando genus proximum fuerit nominatum. Quapropter etiã sanitas & morbus sub eodem genere proximo locabuntur; quòd sanè voluit & intellexit Galenus, cum hæc literis mandauit. Hoc enim vel quiuis deprehendat, non oportere in altero sanitatem, in altero

Sanitas & morbus sub eodẽ genere proximo ponuntur

lib. 1. de morcur cap. 7.

" *morbum: sed in uno omnium genere ambo constitui;*
" *siquidem contraria sunt quæ in eodem genere pluri-*
" *mum inter se dißident, veluti candidum & nigrum:*
" *etenim unum horum est genus color. Ideo si cōtraria*
" *sunt inter se sanitas & ægritudo, in quorumcunq;*
" *genere eorum quæ naturaliter se habent statuetur sa-*
" *nitas, in ipsius innaturali habitu ponetur morbus.*
" *Quare si sanitas actio est secundum naturam, omni*
" *no morbus actio præter naturam fuerit: sin autem*
" *affectio quæpiam, aut constitutio naturaliter se ha-*
bens sanitas est, & morbus affectio, constitutione
" *præter naturam necessariò fuerit, & quæ sequuntur.*

cōstitutio genus proximū sanitatis & morbi.

Ex his sanè verbis euidens est Galenum loqui de genere proximo; siquidem dicat colorem esse genus candidi & nigri, & certe non nisi proximum. Et consimiliter actionem, vel cōstitutionem esse genus sanitatis & ægritudinis, & quidem proximum non remotum.

Præterea Galenus in libro de morborum differentijs, volens definire quid sit morbus, venatus est genus ipsius et dixit id necessariò esse vel actionē vel constitutionem, & reprobauit actionem esse nō posse,

conclu

concluſitq; eſſe conſtitutionem. Quam poſteà diuidens in naturalem & præternaturalem, dixit conſtitutionem naturalem eſſe ſanitatem; præternaturalem verò eſſe morbum, ſicq; voluit conſtitutionem eſſe proximum genus ſanitatis & morbi.

Præterea præcipit vbiq; Galenus, quòd cũ medicus intendit conſeruare, vel recuperare ſanitatem perditam, agat in conſtitutionem corporis, quã conſeruet ſi fuerit naturalis: quoniam ſic ſanitatem conſeruabit, vel eam reſtaurabit: quoniam eo modo ſanitatem priſtinam recuperabit; nunquam tamen dixit quod agat in quietem, aut in motum: quod tamen debuiſſet dicere ſi motus morbi, quies autem ſanitatis fuiſſet genus; ſiquidem debeat ſemper Medicus agere in id, in quo ſanitas & morbus fundatur.

Motum non eſſe genus morbi, Nec quietem ſanitatis.

Præterea ponere morbum in genere motus, & ſanitatem in genere quietis eſt quam maximè abſurdum: nulla enim, inquit Galenus, eſt maior dementia, quàm ponere morbum in vno genere, & ſanitatem in altero.

lib.1. de mor. cur. cap.7.

Præterea prædicamentorum coordinationes ſunt impermixtæ ex Ariſtotelis ſententia, & quæ in vna

lib.1. poſter. analyticorum

coordina

coordinatione ponuntur, non debent poni in altera. Quapropter si morbus ponitur in genere motus, nō poterit vtiq; poni in genere qualitatis: quoniam motus non ponitur in coordinatione prædicamenti qualitatis; nō enim qualitas prædicatur de motu, sicut bene de morbo prædicatur, vt omnes concedunt. Et ob id sequitur quòd in quo horum statuetur morbus, nō poterit in altero poni: si namq; ponitur in genere motus non poterit consequenter poni sub qualitate, vel si ponatur sub qualitate, non ponetur postea sub motu, vt vult Præceptor.

Præterea omnis definitio & pars definitionis debet omni contento sub definito conuenire; sed motus est pars definitionis morbi: est enim eius propinquum genus, vt vult Præceptor. Quare debet conuenire omni morbo; sed consequens est falsum: quoniam morbis, qui ad suum complementum peruenerunt, non conuenit: quoniam hi non sunt in fieri & alterari; sed in facto esse & completo.

Huic obiectioni respondet, negādo quòd consequēs sit falsum; quinimmo motus conuenit omni morbo: quoniam in quolibet corpore patiēte morbum fit alte-

ratio & motus, & si in aliquo subiecto parua fiat alteratio, vt in hectica, ita vt non percipiatur à patiente; in alijs tamen morbis alteratur subiectum nō parum. Et ob id dixit Galenus morbum esse motum præter naturam. lib. 1. de loc. aff. cap. 2.

Sed non aduertit Præceptor (bona eius pace dixerim) ipsum æquiuocare de motu: quoniam nostra contentio semper fuit, an morbus qui est in motu, hoc est in fieri & generari, seclusa omni parte facta, sit vere morbus. Ille concedit esse verum morbum, quod ego constanter nego: sed in responsione huius obiectionis aliter videtur accipere motum, & quæstionē propositam. Et non quidem quòd morbus in fieri & alterari sit morbus; sed morbus qui est in motu, hoc est in facere, siue in mouere & alterare corpus, sit verè morbus. Quod sane concedo, sicut semper concessi: quoniam morbus taliter acceptus est verè affectus consistens in corpore & permanens: quemadmodum omne mouēs & alterans necessariò actu existit, alioquin non moueret neq; alteraret.

Et ad Galenum dicentem morbum esse motum præter naturam, vt inquit Præceptor, Dico quemad

modum

modum etiam prius dixi, quòd morbus non est motus præter naturam simpliciter; sed est quidã motus. Dixit nempè Galenus quòd morbus non est simpliciter mutatio, sed mutatio quædam: quoniã est mutatio permanens per se primò operationes corporis lædens. & alibi dixit quod ubi ad permanentem dispositionem alteratio peruenerit, sitq; dispositio scilicet præter naturam, morbus appellatur. Et postquã alibi dixit morbum esse ex permanentium constantiumq; numero, nonnullis interpositis subdit. Ergo nec is qui morbum esse motum præter naturam dixit, intellexit quid diceret. Ex quibus apparet quòd morbus relatus ad subiectum est motus præter naturam: quoniam cum sit alteratio permanens, & alteratio permanens non sit nisi res per alterationem acquisita in corpore. Utiq; morbus hoc modo acceptus erit motus præter naturam, hoc est res per motum præter naturam acquisita, veluti prius dixi Aristotelem intellexisse: sed acceptus secundum propriam essentiam, nunquam poterit dici motus præter naturam, & qui ita dicit nõ intelligit quid dicat, veluti asserit Galen.

in lib. de sympto. diff. cap. 1.

lib. 1. de loc. aff. cap. 3.

lib. 2. de mor. cur. cap. 3.

Præterea quod dicit Præceptor de sanitate, quòd

huius genus proximũ est quies, videtur multũ ambiguum. Primò quoniam genus debet esse positiuum; sed quies est quodam priuatiuũ: quoniam est priuatio motus.

Tum secundò quoniam cum sanitas & morbus sint contraria, & ponantur sub alio & alio genere proximo, vt placet Præceptori, rationabile est quòd ponantur sub generibus propinquis, quæ sint cõtraria; sed motus motui magis contrariatur, quàm quies motui, vt Aristoteli placet. Quapropter sanitas potius locabitur sub motu, veluti sub genere proximo, quàm sub quiete. Et hæc aduersus præceptorem nunc faciant satis.

lib. 6, de phys. auditu in fine

Hactenus pro significatione terminorum, quemadmodum in proposita difficultate de causa continente, vel coniuncta morbi fuit institutum, multum vagati sumus, & non quidem præter rationem, quemadmodum ex dictis euidenter apparet. Reliquum modò est, vt ad secundum, hoc est ad determinationem propositæ difficultatis condescendam. In cuius quidem determinatione tres inuenio modos dicendi, duos quidem extremos, & vnum medium, quos

Tres opiniones de causa continente.

omnes recensebo.

Prima opinio extrema Gal.

Primus modus dicendi est, qui tenet quòd nulla detur causa continens in morbis; sed morbi ipsi sint causa et continens respectu læsionis functionũ. Qui modus dicendi Galeno adscribitur, & sequacibus propter nõnullas Galeni auctoritates, & rationes ex uarijs locis excerptas, quas per ordinem subscribam.

Prima habetur ex libello proprio de causis contentiuis, referente Leoniceno primo Auctore apud latinos, qui opinionem Galeni de hoc aperuerit; siquidẽ libellus ille ab omnibus ferè desideretur: in quo, ut ille inquit, Galenus abnegat dari huiuscemodi causas cõtentiuas in morbis. Et hac præcipuè ratione motus: quoniam omnis affectus permanens absq; causa consistere potest; siquidem quia iam factus est, ideo ex sui natura permanet, & nullius ope indiget ut permanere posit; sed morbi sunt affectus iam facti & permanentes. igitur morbi absq; causa, & ex sui natura consistere possunt. Quare nulla dabitur causa contentiua morborum.

Secunda ex libro de causis morborum, in quo libro ex professo considerãs singulas morborum causas

ne verbum

ne verbum habuit de causa contentiua; sed duntaxat de primitiuis, & antecedentibus causis meminit; in hunc modum scribens. Redeamus igitur ad id quod propositum fuit à nobis: nempè ut singulorum simplicium morborum causas tum præcedentes, tum procatharticas, id est euidentes; neq; enim fuit absurdum dilucidioris doctrinæ gratia eas huiuscemodi nominibus distinguere. Eas igitur quæ in animali ipso consistunt, siuè affectus sint, siuè motiones præter naturam, causas nominant morbum præcedentes; quæ vero extrinsecus aduеniunt, si vehementer alterant immutantq; corpora, eas interim procatarchontas, interim procatharticas causas appellant. Cap. 2. in fine.

Quod rursus in hunc modum repetit. Atq;, ut summatim, dicam omnes huiuscemodi morborum causæ aut extrinsecus irruunt, aut ex ipso corpore oriũtur; extrinsecus quidem adueniunt, quæ vulnerare, aut collidere possunt: à corpore prodeunt immoderati & incompositi motus animalis, & humores quidã deprauati, qui erodendi vim habent. Idem voluit primò de morbis curandis, postquam declarauit quæ nobis insunt præter naturam circa quæ versatur Ars In calce libri de morb. cauſ. Cap. 8.

medendi, esse morbum, symptomata, & causas morbificas. Has postea diuidens sic literis mandauit. " Atq; harum quæ quidem in ipso animalis corpore " consistunt, internas nominet; quæ extrinsecus exter- " nas. nisi malit (ut nunc vulgus Medicorũ insueuit) " illas antecedentes, has primitiuas vocare. In quibus " quidem verbis nihil de causa coniuncta dixit.

Cap. 88. In libro quoq; artis medicinalis declarans metho dum & causas curatiuas morbi fientis nihil de causa coniuncta meminit; sed duntaxat de antecedente: cu ius verba sunt. Eius autem quæ adhuc fit quod qui- " dem factum est curare opus est: quod autem futurũ " prohibere ne fiat; prohibebitur autẽ sublata ea dispo- " sitione, quam sequi natura apta est; talis vero dis- " positio causa antecedens appellatur.

In enar. t. 4. In quarto etiam regiminis acutorũ duarum solum modo causarum meminit, videlicet præcedentium, & præincipientium; coniunctarum verò ne verbum habuit. Sed præstat eius verba referre, quæ ita legun " tur. Enimuero eorum quæ dicta sunt, quædam incen- " dentium passiomem significatiua sunt; quædam vero " aßident: generantium verò has alia quidem præce-

dentia;

dētia; alia verò præincipiētia à medicis vocata sunt.

In quarto quoq; de valetudine inquirens causas spontinarum laßitudinum, primitiuarum, & antecedentium causarum meminit; coniunctarum silentiū habuit. Sic autem eius verba scripta leguntur. Causa verò vndè ea nascitur affectus laßitudinis est. Porrò huius rursum ipsius causa bifariam scinditur: huius enim intra ipsum animalis corpus continetur, & vocatur præcedens causa, aut omnino non inest, & vocatur præincipiens causa.

Post libri principium.

Idem clare voluit in secundo libro de natura hominis sic scribens. Etenim verum est quosdam morbos generari ex repletione, vel à repletione; at falsum est morbi continentem causam esse repletionem. Et paucis interpositis subdit. Curatio igitur dicitur etiam eorum quæ morbos efficiunt, nedum ipsorū iam generatorum morborum; siquis vero nomine horum proprio vtatur, morborum præcedentes causas id genus dicet, quemadmodum Atheneus. A quibus autem rursus hæ ipsæ præcedentes fiunt, originemue trahunt præinceptiuas & præincipientes nominabit.

In enar. t. 1

Idem Galenum voluisse rationibus comprobatur.

Et

Et primò qnidem ratione ducente ad impoßibile: quoniam si Galenus voluisset dari huiuscemodi causam contentiuam in morbis, maximè voluisset eā esse qua posita ponitur affectus, & remota remouetur; sed consequens est falsum; siquidem voluit Galenus eam causam dici Antecedentem, & non continentem. Quod liquet de multitudine, lentitia, & craßitie humorum obstruentiū; quibus positis ponitur obstructio, & remotis remouetur; auctis, & imminutis augetur quoq;, vel imminuitur obstructio; quemadmodum Galenus declaratum reliquit vndecimo de morbis curandis. Cap.13.

Liquet etiam de putredine, quam Auicenna & sectatores appellant causam continentē; Galenus verò id nomen abhorrens præcedentem appellat vndecimo de morbis curandis, dicens putredinem esse quādam antecedentem causam ipsius febris. Igitur negauit omnino Galenus dari causam contentiuam morborum, accepto semper nomine morbi prout in terminorum significatione fuit prius declaratum. Cap.9.in fine

Secundò omnis morbus vel est factus, vel fiens, vel futurus fieri ex libro artis medicinalis; sed nullius Cap. 88.

borum

horum datur causa contentiua. Non quidem facti, vt liquet: quoniam factorum & permanentium non est causa. Neque futuri fieri; sed huius est dun taxat causa antecedens, vel causa in potentia, quæ factura est morbum, atq; sic neq; fientis erit huiusce modi causa; siquidem fiens habeat partem factam, & partem futuram fieri. Huius gratia datur causa antecedens, vel etiam coniuncta; sed non morbi, sed pathos, quoniam quod est in fieri est in pati & alterari; illius vero nulla aßignatur causa. Quapropter morborum nulla erit causa contentiua.

Tertiò omne mouens antecedit rem motam à qua etiam separatur; sed efficiens est quodãmodo mouens: est enim vnde principiũ motus. Igitur antecedet rem cuius est causa; quemadmodum Aristoteli placet. Quapropter causa efficiens erit antecedens, & nõ con iuncta morbi in propria significatione accepti.

lib.12. metaps t.c.16. lib.1 de Gene. & corruptione t. 55.

Quartò habitu præsente in materia cessat omnis motus efficientis causæ ex Aristotelis sententia; sed morbus est habitus præsens in corpore. Igitur cessauit omnis motus causæ efficentis. nulla itaq; dabitur causa ipsius morbi coniuncta. Et hæc pro primo dicen di modo.

secunda opinio extrema Auic.& sequacium.

Alter extremus modus dicendi est Auicennæ ascriptus, & suis sectatoribus, quòd in morbis datur huiuscemodi causa coniuncta. Quam sententiam posuit Auicēna in plerisq; locis diuidendo causas in primitiuas antecedentes, & coniunctas. & describendo causam coniunctā dixit eam esse causam corporalē, ex qua dispositio corporalis prouenit aduentu primo, idest absq; medio: cuius exempla ponens dixit. Veluti putredo febris, & humor qui ad foramen descēdit oppilationis, & oppilatio cæcitatis. Alias verò causas, ex quibus non immediatè; sed remotè prouenit dispositio præter naturam, dixit esse causas antecedentes. Quam etiam sententiam approbat Auerroes Veluti putredo, dicit Auerroes, respectu caloris extranei causa dicetur coniuncta.

2. fen.1. doct. 2.su.prima capite.1.&.1.canticorum cap.2 de causis cantico.175.

In enaratione cantici.176.

Hic sanè modus dicendi non solummodo apud Arabes habetur; verum etiam apud Græcos. Siquidem Ioannitius in sua Isagoge de causis morborum pertractans sic ad verbum inquit. Modi occasionum infirmitatem faciētium tres sunt: nam aliæ sunt quæ vocantur Primitiuæ, quæ exteriùs accidunt corpori, vt calor & frigus. Sunt & accidentia quæ admo-

Ioannitius Cap.40.

uentur

uentur intrinsecus in corpore, ut repletio & inanitio. Sunt & aliæ quæ uocantur coniunctæ, quæ dũ adsunt adest infirmitas, & abeuntibus his infirmitas abest, ut putredo in febribus.

Auctor definitionum medicarum eiusdem quoq; fuit sententiæ in hũc modum scribens. Causa est quæ aliquid generat in corpore, quamuis ipsa sit corporis expers. Causarum alia est procatartica, idest euidẽs: alia synectica, idest coniuncta, siue continens: alia præcedens, siue interna. Procathartica est, quæ dum aduersam ualetudinem creauit, separatur; ut canis mordens, scorpio pungens. Causa coniuncta est, quæ cum præsens est, eius quoq; affectus adest; cum uerò desinit, etiam affectus euanescit, ut lapis in uesica, unguis in oculo. Præcedens causa est, quæ à Procatartica præparatur, & adiuuatur. Vel coniuncta est, quæ aucta augetur, & qua sublata aufertur affectus.

Auctor differ. med.

Idem etiam uoluit Auctor introductorij Medicinæ ita scribens. Causarum uerò morbos continentium notitia non minus desideratur, ut affectuum origines, quibus resistere conuenit, intelligamus: tum

Auctor introduc. med. cap. 8. post prĩcipium.

ipsos affectus, eorumq; status à veteribus appellatos cognoscamus.

Et paucis interpositis subdit. Rationalibus causæ, licet ipsi nihilominus tum affectus, tum concursus inquirant; totum autem causis attribuunt; quarum nõnullæ euidentes, aliæ continentes, quædam coadiuuantes, reliquæ concausæ, reliquæ præcedentes dicũtur. Euidentes, quæ grecis procatharticæ dicũtur, sunt quæ dum aduersam valetudinem crearunt, separantur; vt frigus, laßitudo calor, cruditas. Continentes cohærentesq; cum præsentes sunt, & morbi quoq; eorum adsunt; cum tolluntur, morbi etiam discedunt; vt spina, & telum.

Quinimmo Galenus met in plerisq; locis eandem causam asserere videtur, & primo quidem in libro de sectis, vbi reprehendit Methodicos, qui in morborum curatione contentiuas causas, & quascunq; alias despiciebant, dicens. Simili ratione ijdẽ Methodici de obscuris causis, & continentibus vocatis loquuntur; eas namq; superuacuas esse dicuntur.

cap.x. Idem voluit in libro contra Iulianum, vbi eum re reprehendens, qui quamuis rectè fuerit vsus nomine

continentis,

continentis causæ: quo pacto tamen ab Antecedentibus differret, non intellexit. Clarißime ostendit cōtinentem causam ponendam esse.

Atq; ibidem quibusdam interpositis reprehendit Asclepiadem negantem dari causam contentiuam, eiusq; rationem dissoluit, qua probabat Plenitudinē coniunctam causam dici non posse, distinguendo varia Plenitudinis significata, vbi sic ad verbum scribit. Ostensum à nobis est commentarijs his, in quibus symptomatum causas enarrauimus: atq; vbi tumores præter naturam tractauimus, conuulsionē interdum, tremoremq;, ac in vniuersum phlegmonem, & herysipelas, idq; quod à recentioribus Medicis ædema vocatur, aliosq; præterea affectus plenitudinis inniti hypotesi, tum si plenitudinem euacuet quis, ad naturalem quamprimum statum redire mēbrum. In quibus verbis clarißime apparet Galenum ponere in morbis plenitudinem esse causam continentem: qua posita, ponuntur, & remota remouentur morbi, atque symptomata, vt tumores præter naturam, & conuulsio, atq; tremor.

Quod voluit etiam Hypocrates, cum dixit. 2. sec. apho. 22

Quicunq; morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio. Voluit inquam repletionem esse causam coniunctam morborum, qua posita ponantur, & remota remoueantur. Sicut etiã dixit secundo de natura humana.

circa pricipiũ.

Galenus etiam non in morbis solũmodo; sed etiam in cunctis alijs rebus concedit dari causam continentẽ, sic dicens. Non pulsibus modo; sed in alijs cunctis unum quod primum & præcipuum est, quod quidẽ continens appellant: cuius quidem inde appellatio deducta est, quòd illorum essentiam contineat, quæ est generationis causa.

1. de causis pulsuum in prin.

Veluti etiam cum dicit. Tensionem tunicæ rhagoidis esse continentem causam dilatationis pupillæ. Et cum ponit causam continentem stuporis esse obstructionem, vel compreßionem, aut constitutionem, vel refrigerationem in neruis factam.

1. de causis sympto. cap. 2. cap. 50

Atq; de horrore, & rigore loquens concedit horum continentem causam esse rodentium excrementorum confertim actorum citatiorẽ motum, & alias multas quas ibi explicat. Quemadmodum de tremore habens sermonem dixit causam habere, ut ita decam, continentem, virium imbecillitatem.

x de mor. cur. cap. x.

3. de mor. vul. com. 1. in enaratione tex. 2.

Et

Ex Hypocrate declarante quæ obseruanda sunt à Medico in recta curatione morborum, inquit Galenus in sua cõmentatione quòd ostensum est alibi quas ,, anteincipientes causas vocant, & quas antegressas, ,, & quas continentes. Quo loco apparet causas continentes considerandas esse à Medico in curatione morborum. in 6. de mor. vulg.sec.3.t.20

Eandem continentem causam Galenus admittit, quum loquens de screatione inquit. Cæterum ea ipsa ,, materia, si admodum tenuis & aquosa est, vix scre ,, atur, vt quæ in pulmone circunfluitet: hæc enim pri ,, ma causa eductionis, quam etiam adhærentem, vel ,, continuam nominant. lib. 1. de progno ft.co.t.43

Eandem etiam expresse concedit in hunc modũ scribens. Verba autem faciemus non solum contra ,, Methodicos; sed etiam contra eos rationalium, qui ,, non cognita ipsius actionis prima causa, quam conti- ,, nentem etiam nominare sunt soliti, methodo quadã ,, ac ratione constitui posse artem putant. ,, 2. de morbis cur.cap.4.

Expreßis etiam verbis eandem ponere videtur, cum loquens de generatione spumæ inquit. Fieret ,, etiam quando in ipso ventriculo vnam habens, vt in 7.sec.aph. 30.

quispiam

" quispiam diceret, causam contentiuam, quocunq; ex-
" cernatur, aut fiat; Antecedentes autem plures. Est
" autē huius pituitæ causa contentiua flatuosus spiritus.

Et quoniam coniuncta causa ea est, qua posita ponitur affectus, & remota remouetur, vt supra fuit dictum, idcirco visus est Galenus clam eam concedere, licet nō nominauerit, cum dixit. Id, quo tangēte nos afficimur, & separato quiescit paßio, causam esse omnes homines confitentur.

1.de loc. aff. cap.2.

Quod etiam voluit, cum ad verbum ita scriptum reliquit. Sed nunc de his, qui adhuc fiunt, morbis, sermo à nobis habetur. Liquet igitur quòd vnà cum causis ipsos facientibus destruuntur.

2. aphor. 25. & in lib. de optima secta cap.23.

Dioscorides etiam eandem continentem causam concedit, quum ita scribit. Quoniam autem causarū differentijs gaudent, alias continentes, alias verò præincipientes vocantes, dicendum ipsis est alter vtro istorum modorū procatharticam scilicet præincipiētemue dici causam, quod effectum præcedit, quodq; corporis compagem præoccupat. Continentem verò quòd præsentibus paßionibus adest; & ipsa remotaq; ea, se mouentur quæ cum ipsa veniunt.

lib.6.cap.35.

lib.1.in prohemio

Cornelius

Cornelius etiam celsus eandem ponit ex sententia rationalium medicorũ, quorum princeps est Hypocrates dicens. Igitur hi, qui rationalem medicinã profitentur, hæc necessaria esse proponunt abditarum, & morbos continentiũ causarũ notitiã, deinde euidentiũ.

Ex Aristotele quoq; eadem comprobatur, cum ponit discrimen inter causas efficientes, quæ actu operantur & efficiunt, & quæ potentia, dicens. Differunt autem intantum, quòd operantia quidem actuue efficientia, & singularia simul sunt, & non sunt, tum ipsa tum ea quorum causæ. Vt hic medẽs cum hoc qui sanatur; & hic ædificator cum hoc ædificio, quodue ædificatur. Quæ autem secundum potestatem non semper; corrumpuntur enim non simul domus & ædificator.

lib.5.metaph. te.3.&.2. phy. te.37.

Quemadmodum cum vult causam ad causatum correllatiuè dici, eamq; veram causam esse, qua posita ponatur, & ablata tollatur; siquidem correllatiuorum natura sit, vt posita se ponant, & perempta se perimant.

In lib.prædicamentorũ c. ad aliquid.

Quam etiam hac ratione confirmare possumus: quoniam doloris vt symptomatis causa continens assi

gnatur

gnatur intemperies, aut solutio continui; sed dolor potest rationem morbi quoq; subire cum functionibus officit & vires prosterint, actionem medici & curationem ad se reuocans. Igitur dolor vt morbus eandem causam continentem obtinebit, quam prius, cum symptoma erat, obtinebat. quocirca morbi agnabitur causa continẽs. Hæc sunt quæ huic ex modo dincendi modo facere videntur. Medius autem dicendi modus & bipartitus, vnus est Ioãnis Philippi Ingraßiæ Siculi, quòd quorũdam morborum aßignãda est causa coniuncta, quorundam non: nam morborum qui in intemperie positi sunt, atq; eorum qui in natura ponuntur, nulla coniuncta continensue causa determinanda est, horum inquam, vt iam facti sunt & geniti: quoniam si vt in fieri sunt considerentur, remota omni eorum parte facta, vtiq; causa aßignabitur coniuncta; sed non eorum vt morbi, sed vt passiones sunt & alterationes corporis. Eorum autem morborum qui in natura compositionis constituuntur, excepto morbo in numero, veram continentẽ causam differentiare licet. Veluti magnitudinis quidem in tumore præter naturam, quæ si tanta fuerit, veluti

Tertia & media opinioni dicendi.

dicebat

dicebat Galenus, ut functiones impediat, morbus censeri debet; alioquin symptoma sicut etiam dolor. Cuius quidē magnitudinis causa humoris copia nonnunquam esse potest, ut testatur Galenus: qua posita, vel phlegmonis, vel alterius tumoris magnitudo ponitur; & ea humorum redundantia increscente, magnitudo etiam increscit; & imminuta, diminuitur; & demum eadem ablata, aufertur. Igitur morbi in magnitudine causa coniuncta, continensue assignanda erit, veluti Galenus sentire videtur. Morbi etiam in situ causa continens assiganda est, veluti crassus, gypseusue humor quispiam, vel porus effatu dignus articulis interpositus, post locatum os huc vel illuc impellens, positum vitiat: quo aucto, vel imminuto, aut ablato, augetur, imminuitur, & tollitur vitium in situ. Quapropter erit eius causa continens.

In li. de mor. differentiis capi. 12.

I. de mor. cāis cap. 9.

In lib. cōtra Iulian. cap. 9 circa finem.

Figuræ etiam vitiatæ causa coniuncta assignāda est vel luxatio, vel fractarum partium inepta coniunctio, ut alterum morbum alterius statuamus esse causam; siquidem inepta partium coniunctio sit deprauatus situs illarum: quoniā ea posita ponitur vitiū

in figura, aucta augetur, & remota remouetur. Quòdsi figura concinna reddita membrum adhuc nō rectè moueri poßit, non ob id negandum eam luxationem, aut ineptam coniunctionem non fuisse coniunctam causam; sed ob aliquod ligamentorum vitium id euenire existimandum erit.

Superficiei quoq; vitiatæ causa continens aßignabitur siccitas, vel humiditas; siccitas quidem asperitatis; humiditas autem lenitatis eiusdem: quoniam his positis & demptis, ponitur & demitur superficiei vitium. Cauitatum quoq; et meatuum causæ coniunctæ sunt vel coalitio, quæ est præternaturalis vnio, vel caruncula, siue quoduis aliud tuberculum, aut scirrhus, vt Galenus inquit, nec non phlegmone, aut abscessus in ipsis instrumentorum corporibus oborta; vel craßi & viscidi humores, aut callus aliquis, aut grumi, quodcunq; deniq; cauitatis medio interpositū obstructionem produxerit. Item quoduis extrinsecus incidens & comprimens, nec minus constringens frigiditas, aut siccitas in seipsa eidem cauitati circunstantia corpora residere cogens, hæc quidem omnia coniunctæ causæ nominari possunt, vt euidens est:

In li. de mor. differentiis & de causis vtro bique cap. 7.

quoniam

quoniam positis ponitur affectus, vt exempli gratia obstructio, & remotis remouetur.

In omnibus dictis affectibus statuēda est, inquit hic eximius vir, causa coniuncta vel continens: quoniam esse suum non absolutum: sed in fieri & generari poßidēt, & à causa dependent nedum in fieri; sed etiam in esse & conseruari.

Morbi verò in numero, & reliqui in ipsa intemperie, & natura cōmuni constituti: quoniam suum esse absolutum habent, adeo vt remota causa remanere pro aliquo temporis interuallo poßint. Idcirco continentes causas neutiquam habere dicentur.

Alter medius dicendi modus est Iulij delphini, qui conuenit cum modo dicto in hoc, quòd omnes morbi, qui ita pendent à causa, vt in ea habēt suum esse, & sine ea non possunt firmari, tales inquam morbi habent causam coniunctam vel continentem, qualescunq; fuerint vel in complexione, vel in compositione. Et quòd Galenus admittat hanc coniunctā causam in huiuscemodi morbis factis pendentibus à causa, ostendit multifariam, & primo ex libro de morborum differentijs, vbi postquam recensuit diffe- Cap. 8.

rentias ægritudinum in numero in partibus similaribus, dicit deinceps quòd eorum quæ superabundant, aliqua sunt ægritudines ipsæ, ut unguis in oculo: alia sunt ægritudinum causæ, ut germina quæ meatus interserant; ista enim faciunt aliam affectionem, quæ obstructio est. Ita etiam lapis in vesica est morbi causa. Præterea apoplexia est obstructio; humor autem hanc obstructionem faciens, cum non sit morbus, est necessariò causa morbi, præterea humor faciens intemperiem est eius causa. Illi etiam morbi dicuntur habere causam continentem: quorum causa remota ipsi etiam remouentur. Quod annotauit Galenus cũ dixit morbos alios remanere ablatis causis; alios vero ita à causis dependere, ut illis ablatis una auferantur, ut suffusio à materia proueniente à cerebro non tollitur ablata intemperie cerebri: at ea, quæ fit ex vaporibus eleuatis à ventriculo, tollitur sublata ventriculi indispositione. Præterea humor causans intemperiem, à qua nascitur stupor dentium, est causa coniuncta illius intemperiei, quo ablato ea cessat. Igitur plurium morborum assigabitur causa coniuncta.

lib. i. de loc. af. cap. 2.

Sed arbitor utrunq; medium dicendi modum à veritate

Cõfutatio tertii medii modi dicendi.

veritate

ueritate non parum distare. Et primò quantum ad id, in quo ambo conueniunt, quòd aliqui morbi habeant suum esse completum, qui nō dependeant à causa; alij autem non, ueluti sunt morbi pendentes à causa quoad esse & conseruari, à ueritate distant: quoniā quod per se alicui inest, id æqualiter conuenit omni contento sub eo; sed habere esse absolutum per se inest ipsi morbo. Igitur habere esse absolutum, hoc est essentialem perfectionem obtinere, & in esse permanenti existere æqualiter conueniet omni morbo. Esse enim de numero constantium & permanentium est una conditionum, quæ ex Galeni sententia ad essentiam morbi necessariò requiritur. & quicūq; morbus habet permanentiam in corpore, dicitur habere perfectionem essentialem, per quam est uerè morbus: quamuis ita absolutus non sit, ut incremento careat, sed perpetuo increscat ad absolutionem, & accidentalem perfectionem perueniens.

lib. de sympt. differētiis c. 1. & 2. meth. capi. 3.

Tum etiam quoniam quod est factum & permanens est independens à causa; siquidem facti non sit causa, sed solius fientis; sed omnis morbus est affectus permanens & factus. Igitur omnis morbus

erit

erit independens à causa.

Tum etiam quoniam nullum pendens à causa in esse & conseruari est permanens; sed affectus in cõpositione iam dicti pendent à causa in esse & conseruari. Igitur huiuscemodi affectus non sunt permanentes. Quare neq; morbi; siquidem morbus sit affectus permanens. Vel igitur Galenus non rectè diffiniuit morbum esse affectum permanentem; vel illi affectus in compositione non erunt morbi: quorum vtrunq; est falsum.

Huic obiectioni conatur satisfacere Ingrassias, inquiens quòd cum Galenus definiuit morbum per esse affectum permanentem & constantem, eum sic definiuit, vt eum distingueret à passione contra sententiam Methodicorum: quoniam passio est solius alterationis motus, cuius nihil remanet, nullaq; pars facta demonstrari vnquam potest; sed morbus est affectus constans, qui scilicet factus demonstrari potest, adeò vt functionibus incõmodet, siue cum adiuncta sibi causa, siue absq; illa permaneat, satis superq; est quòd factus sit & permanens, factaq; pars & à Medico & ab ipsomet ægrotante sentiatur.

Quæ

Quæ responsio licet vera sit quantum ad id, quòd morbus & paßio differrũt, quòd ille est affectus permanens, paßio autem nequaquam: tamen à veritate distat, cum credit morbum dici affectum permanentem, vel adiunctam causam habeat, vel non: quoniam, vt dictum est, ex sui natura permanens est independens à causa, aliter non esset permanens: sed morbus est ex propria natura permanens. Igitur erit etiam independens à causa. Quapropter licet eadem causa sit in corpore quæ genuit morbum, quæ modò ad incrementũ & accidentalem absolutionem eundẽ perducit. Id tamen constanter verum est, quòd morbus permanens & habens perfectionem essentialem non amplius pendet à causa, vel ea adhuc sit in corpore, vel non; sed duntaxat ab ea pendet quantum ad perfectionem quæ est secundum accidens, quæ per acquisitionem maioris quantitatis, siue vehementiæ & intensionis morbi acquiritur. Quod etiam euidentißimè ex ipsomet Ingraßia apparet, asserente vnam & primam conditionum morbi esse quòd per se consistant. non itaq; causæ, aut alterius adiumento indigebit vt permaneãt. Tum etiam quoniam sequeretur

retur quòd idem affectus respectu eiusdem esset factus & non factus, & fiens & non fiens: esset factus, quoniam consistens & permanens: non factus autem, quoniam habens causam, sine qua stare nō potest. Per quod morbi in compositione differunt à morbis in intemperie, vt Ingraßias inquit: quoniam isti sine causa stare possunt cum geniti sunt; morbi verò in compositione non possunt sine causa stare cum facti sunt. Et sic morbus factus esset factus & non factus, vt euidens est; quod cum sit absurdum, absurda quoq; est responsio data. Esset etiam fiens: quoniam pendens à causa; non fiens autem: quoniā iam genitus est & factus,

Causa coniuncta datur i genere causę formalis in oī genere morbi.

Sed causa erroris, vt opinor, horum doctißimorum virorum fuit, quòd non distinxerunt inter causam formalem, & causam efficientem; siquidem omnes morbi in compositione iam enarrati per Ioānē Ingraßiam, alij etiam, quos in medium affert Iulius Delphinus, habeant proximam causam formalem, per quam propriam obtinent essentiam, & in determinata reponuntur specie. Quinimo non modò hi morbi in compositione; sed reliqui omnes, vel fuerint

in

in intemperie, vel in natura cōmuni huiuſcemodi cauſam formalem habent, quæ eſt tota eorum eſſentia & quiditas. Efficientem verò cauſam nullus habet: quoniam ſunt iam permanentes & facti, atq; permanent ſine alicuius efficientis cauſæ ope. Quòd autem habeant proximam formalem cauſam inde conſtat, quòd nihil conſtituitur in eſſe niſi per proximam formam introductam à cauſa efficiente in determinata materia, atq; ſic morbi quicunq; fuerint vel in intēperie, vel in compoſitione, aut in natura communi formam habent eſſentialem, per quam ſunt tales, vel tales: nam ſicut ametria partium componentium eſt proxima forma morbi in genere, vel verius morbusmet; ſic etiam hæc, vel illa ametria erit proxima forma huius, vel illius morbi, quæ non verius explicari poteſt, quàm per formam dantem illi eſſe, quæ ſane in ipſa intemperie eſt exuperans aliqua qualitas, vt caliditas, frigiditas, vel alia huiuſcemodi; vel cum præſentia materiæ, vel ſine. In cōpoſitione verò magnitudo imminuta, vel aucta, & pars aliqua ſubtracta, vel ſuperaddita, aut à ſuo ſitu mutata. In natura communi diuiſio continui: quāprimum enim

hæc introducta sunt, protinus vitiata componentium proportio, & constitutio præter naturam facta est. atq; sic morbus est & dicitur factus. Et ob id sequitur quòd materia contenta in aliqua parte est essentialis forma tumoris & magnitudinis præter naturã: quæ quandiu existit est constitutio præter naturam, quæ tumor præter naturam, & morbus nominatur si leserit functiones corporis, et quamprimum recedit redit constitutio in suum naturalem statum. Et hoc quidem intelligendo de tumore præter naturam iam facto & absoluto: quoniam si de eo quod est in fieri, de quo Galeni dictum verificatur, & Ingrassias intelligere videtur, sermo fieret, vtiq; copia humoris fluentis ad locum affectum, & eum in tumorem eleuans causa erit continens vel coniuncta in genere causæ efficientis, instrumentarie tamen: qua posita, ponitur tumor qui est in generatione, & sublata tollitur.

Callus etiam & humor gypseus vel constituant morbum in situ, quòd post locatum os, à sua sede dimoueant, vel etiam in figura, cauitate, atq; numero, vt Galenus velle videtur, quòd facta luxatione figuram

lib. de mor.d. cap.7. & 8. & in lib. de causis mor. cap.7.

figuram vitiosam reddant; vel articulamẽtum, vt inquit, repleant, et conuenientẽnumerum partium excedant, semper erunt causa efficiens continens dictorum affectuum quatenus sunt in generatione; quatenus verò sunt permanentes & iam geniti, erunt essentialis forma per quam proprium obtinent esse; siquidem posito poro in cauo oßis coniuncturæ, ponitur constitutio præter naturam ipsius, & remoto eadem restituitur in suum naturalem statum. lib. x. de cõpl. med. secundũ loc. cap. de coxarum dolore

Eodem modo dicendum est de causis vitiatæ figuræ, & superficiei: quòd nimirum horum affectuum vt sunt in fieri assignantur causæ continentes; vt autem facti sunt & permanentes dantur formæ, per quas constituuntur in esse.

Neq; iudico quosdam recte sentire contra Ingrassiam, asserentes figuram vitiatam, atq; situm vitiatum morbum minime esse; sed symptomata consequentia constitutionem præter naturam: vt vitiata figura, luxationem; necnon asperitatem, ac lenitatem superficiei non morbos, sed symptomata esse consequentia intemperiem partium similarium siccam & humidam.

Quorum certè dicta non parum aliena sunt à veritate: quandoquidem Galenus ex professo in libro de morborum differentijs ponat vitiatam figuram partis lædere eius functionem, & ob id morbũ esse. Quod etiam illi in suis commentarijs non negant. Nam valgi, vari, & Planci cruribus deterius incedunt, inquit Galenus; quòd conueniens horum figura vitiata sit, sic & male opus suum aggrediuntur crura propter vitium in figura. Nec non vitiatam superficiem morbum esse, atq; functionem lædere indubitanter asseruit: nam asperitas Gutturis inspirationem atq; expirationem, vel etiam vocem impedit: & ventriculi, atq; intestinorum læuitates eorum functiones etiam impediunt, & alia id genus. Non ab re itaq; inter morbos debent cõnumerari, quemadmodum illimet etiam affirmant. & quo auspicio nunc aliter sentiant contra Ingraßiam, me præterit certe, nisi studio contradicendi ducti id asseruerint.

cap.7. Figuram partis vitiatam morbum esse, & non sympt. veluti etiam positionem vitiatam.

Superficiẽ vitiatam morbũ esse & nó symptoma.

Sed apparet euidens contradictio in dictis eorum; siquidem primò inquiunt situm vitiatum non esse morbum, sed symptoma, & non explicant cuius constitutionis præter naturam sit symptoma. Postea

cum

cum declarant cuiusnam affectus, & constitutionis præter naturam vitiata figura sit symptoma, dicunt eum affectum esse luxationem, & non aduertunt quòd coguntur consequenter concedere vitiatum situm morbum esse: quoniam si luxatio non est aliud, quàm dimotio oßis à sua sede, ideoq; vitiatus situs oßis, vtiq; vitiatus situs morbus erit; siquidem luxatio, quæ morbus est (illis attestantibus) sit idem quod situs præter naturam ipsius ossis.

Aberrant etiam, cum inquiunt ne per somnium quidem Galeno in mentem venisse, vitiatam figurã lædere actionem & morbũ esse; sed potius affectum præter naturam, qui figuram ipsam naturalem vitiat: quoniam si affectus præter naturã, qui figuram naturalem vitiat, morbus est secundum eos, vtiq; sequetur causam morbi esse morbum: quandoquidem quod naturalem corporis structuram perturbat, non morbus, sed causa morbi sit. Et quia affectus ille præter naturam naturalem corporis structuram vitiat; siquidem naturalis figura, quem ille affectus præter naturam vitiat, sub naturali structura corporis cõprehendatur, ob id nõ morbus erit; sed causa morbi.

Neq;

lib.3. de mor. cur. cap. x.

Vitia in magnitudine & figura esse morbos & nõ symptomata.

Neq; obest quod ex Galeno producunt, figuram et magnitudinem ex eorum numero esse, quæ affectibus corporis unde actio nascitur necessariò accidunt & ob id vitia in magnitudine & figura esse symptomata, & non morbos. Quoniam si ita esset, non ne Galenus in libro de morborum differentijs non morborum differentias; sed symptomatum declarasset? siquidem vitia in formatione, magnitudine, cõnexione & positione omnia essent symptomata: quòd, eodem auctore, conformatio, magnitudo, positio, & connexio necessariò accidant constitutioni organorum & totius corporis? & ideo non ob hoc quia hæc accidant affectui corporis, debemus cõcedere vitia in illis naturis symptomata, esse & non morbos: quãdoquidem ex illis differentiæ morborum, & non symptomatum nascantur, sed potius intellectum dicti Galeni inquirere, vt ueritas appareat. Et ideo dicamus, quòd quia constitutio partium organicarum, & totius corporis necessariò expostulat partium, ex quibus cõstituitur, conformationem, magnitudinem, numerum, & positionem, vt functiones obire posit, quemadmodum Galenus approbauit; siquidem omne quod existit

lib. .1. de vsu partium cap. 9

in lib. de mor. diff. cap. 4.

necessariò

necessaiò sit vel vnum, aut plura; magnum, vel paruum; hoc, vel alio modo conformatum; in hoc, aut alio loco situm; necnon seorsum existens, aut cum alio colligatum. Et quoniam accidit quòd talem habeat conformationem, tantam magnitudinem, tot numero partes, & certam quandam positionem, vt probè certas quasdam functiones efficere possit, ob id ea dicuntur necessariò accidere constitutioni; quemadmodum omnia componentia dicuntur necessariò accidere composito: quia nullum reperitur compositum, quod necessario non integretur ex partibus componentibus; accidentale tamen est, quòd ex tot, & tantis, atq; taliter dispositis partibus integratum sit: quoniam non per se primò hæc ita determinata ei insunt: sed secundò & comparata ad certam & propriam eius operationem. Atq; sic etiam in affectu & constitutione præter naturam intelligendum est: quoniam vlcus, de cuius differentijs loquebatur Galenus, necessariò est figuratum aliqua figura, & necessariò subiicitur alicui magnitudini & tempori; accidit tamen sermonis gratia quòd sit obliquum, & non rectum; magnum, & non paruũ; inæquale, tertio de mor. cur. cap. x.

& non

& non æquale; recens, & non inueteratum: quoniam hæc ita determinata non primò ei insunt secundum naturam ulceris; sed secundariò, ut nimirum ab hac, vel illa causa fuerit productum, quæ licet dicantur necessariò ei accidere: non sunt tamen symptomata; sed ulceris differentiæ. veluti etiam constitutio vitiata necessariò vitium habet vel in formatione, aut in magnitudine, vel in numero, aut positione: ex accidenti tamen est exempli gratia quòd vitium habeat in formatione, & non in magnitudine, vel in hac aut illa natura & non in reliquis; quæ vitia constituunt non symptomata, sed differentias cōstitutionis præter naturam, & tot quot sunt ea quæ eandem secundum naturam componunt; siquidem, authore Galeno, vitiorum genera eadem sint his quæ virtutem perficiunt, nisi quis nomen symptomatis in latiori significatione acceperit, pro omni eo quod præter naturam accidit. In qua quidem significatione nō ab re omnes morbi possunt symptomata dici, quemadmodum Galenus asseruit, ideoq; figura vitiata, ueluti etiam vitiatus situs, atq; magnitudo læsa symptomata erunt, generaliter accepto nomine symptomatis,

In lib. artis med. cap. 8.

In lib. de sympto. dif. cap. 2.

matis, sed non propriè; quoniam hæc vitia non sequuntur necessariò affectum præter naturam, veluti natura symptomatis propriè sumpti est eum sequi, vt vmbra corpus sequitur; sed constitutioni secundum naturam accidunt necessariò.

Quod asserunt deinceps Asperitatem & lenitatem esse symptomata & non morbos, quòd intemperies partium similarium sequantur; asperitas quidem siccam, lenitas humidam, longe à veritate recedunt. Primò quoniam frustra Galenus numerasset ea vitia inter morbos sub mala conformatione comprehensos, si morbi nō essent. Tum etiam frustra causas morbificas eorūdem aßignasset. Tum etiam quoniam quæcunq; vitia immediatè lædunt functiones partium corporis, & sunt de numero permanētium, sunt morbi; at vitia in formatione, qualia sunt asperitas & lenitas præter naturam, primò lædunt functiones partium corporis; siquidem, authore Galeno, asperitas tracheæ vocem perturbat primò, & ventriculi ac intestinorum lenitas retentionē cibi, ob id morbi erunt. Nec obest quòd nascantur ex intemperie: quoniam, vt asseruit Galenus, contingit morbum ex morbo

In li. de mor. dif. cap. 7.

In lib. de cãs. morb. cap. 7.

Lib de morb. diff. cap. 7.

nasci. Si itaq; asperitas & lenitas non impedirent primò functionem ullam, utiq; symptomatis rationem possent obtinere: sed cum functionem lædant, & sint de numero permanentium, non ab re morbi erunt, quamuis ex intemperie nascantur. Neq; huic reclamat Galenus, ut consideranti apparet.

In arte medic. cap. 68.

Eodem etiam fundamento saluamus meatuum & cauitatum obstructiones, atq; dilatationes immodicas causam continētem formalem obtinere constituentem eos affectus de numero permanentium, & in genere morborum in formatione, qua nimirum posita, quæcunq; ea fuerit, alter morbus eorum ponitur, & remota remouetur, istud natura formæ semper exigente. Quòd si doctißimi illi uiri aduertissent, læuiter euasissent hanc, sicut & reliquas rationes Ingraßiæ, & non dixissent dilatatam cauitatem esse symptoma plenitudinis, & non posse esse morbum, cum expresse dixerit Galenus. Cauitatum morbi siue obstruantur, siue immodicè pateāt, omnes ad conformationis genus reducuntur. Immodica itaq; tensio, & dilatatio, à quacunq; causa acciderit, morbus erit, & non symptoma. Et plenitudo, hoc

Vitiatā cauitate morbū esse & nō sympt.

In li. de mor. diff. cap. 7.

est

est humor replens erit vna causarū illius, & quidem efficiens dum est in fieri; forma vero cū est iā genita.

Et quia veritati omnia consentiunt, & fiunt aperta, ob id hac eadem via tolluntur etiam quæ in medium adducit Iulius Delphinus: quoniam illi morbi si considerentur vt sunt in fieri, sic habent causam efficientem proximam; quæ coniuncta vocatur: si vero vt sunt facti & absoluti, sic causam efficientem non habent; sed duntaxat formalem proximā, & coniunctam. Sicut si obstructio sit in fieri, & pendeat à tuberculo, vel lapide, aut humore, hæc omnia subeunt rationem causæ efficientis coniunctæ; sin vero facta sit, subeunt rationem causæ formalis proximæ, per quam constitutio habet esse præter naturam; siquidem hæc sint iam fixa & impacta in ipso meatu, et sint forma constitutionis meatus præter naturam. Eodem modo de Apoplexia dicendum est, necnon de intemperie cum præsentia materiæ, & de ea quæ est causa stuporis dentium.

Ad locum vero adductum ex primo de locis affectis clara est responsio: quoniam distinguere oportet an affectus læuiter inhæreat, vel altius figatur in

corpore: quoniam si læuiter inhæserit, tollitur vna cũ ablatione causæ. Quod sanè ex accidente euenit, eo scilicet quòd læuiter figatur: quoniam si per se, tunc semper ad remotionem causæ morbus etiã remoueretur, quod falsum existit. Non igitur ex eo quòd pendeat à causa, tollitur vna cum causa; sed quia læuiter inhæret.

Et sic generaliter verificabitur quòd nullius morbi debet aßignari causa coniuncta efficiens; sed bene formalis. De qua proxima causa formali loquutus fuit Galenus in libro de morborum differerentijs: in quo quidem libro cum sua intentio esset omnes morborum differentias & species explicare, non potuit eas aptius explicare, quàm per formam dantem esse constitutioni præter natura. Sicut per excedentem caliditatem, frigiditatem, humiditatem, aut siccitatem enumerauit species morborum partium similarium: quoniam illæ qualitates sunt forma proxima constitutionis præter naturam earum; quæ cõstitutio præter naturam non potest rectius declarari, quàm per qualitatem, vt per formam dantem illi esse. Ob id Galenus dixit excedẽtem caliditatem, vel frigiditatem,

Causa formalis proxi. morbo. consideratur in lib. de morb. differ.

Morbos enarratos a Gal. in lib. de morb. diff. non esse

aut

aut humiditatem, & siccitatem esse morbos partium similarium. Sicut etiam dixit magnitudinem auctā & imminutam, & partem additam vel subtractam, & reliqua id genus esse morbos instrumentariarum partium. Quoniam secūdum veritatem excedens caliditas non est morbus: quoniam non sibi conuenit definitio morbi; siquidem non sit constitutio præter naturam partium similarium; quia non est vitiata proportio eorum, quæ componunt partes similares, sed bene est forma dans esse illi constitutioni præter naturam, & vitiatæ proportioni componentiū partium similarium. Et quod dictum est de excedente caliditate, consimili modo dicendum est de reliquis. Qua determinatione stante, detegitur aliorum error, bona eorum venia dictum sit. & primò quidē asserentium humorem in aliquo meatu impactum, & lapidem meatum vesicæ occupantem esse morbū, & obstructionemmet, atq; immodicam qualitatem vt excedentem caliditatem esse morbum. In quibus certe aberrant Tum primò: quoniam morbus est constitutio præter naturam; atqui nec humor, nec qualitas excedens est constitutio præter naturā, siquidē constitutio

vere morbos, sed formas proximas constitutis pter naturam indicātes veros morbos.

Lapidē in vesica & humorem obstruentem atque excedentem qualitatem nō esse morbos.

constitutio dicatur esse ipsius corporis, & non alterius à corpore. Quarè nec erit morbus.

Tum etiam quoniã morbus est paßio viuentis; at nec humor, nec qualitas viuunt. Quare nec morbi poterunt dici.

Tum quia morbus nedum esset in genere qualitatis, sed etiam substantiæ; siquidem humores & lapis substantia sint, quod absurdum est dictu.

Has rationes conantur illi euadere contra Valeriolam. Et primam quidem quòd licet morbus sit constitutio corporis, & non humorum; quia tamen humores & lapis in aliquam corporis partem confluentes eius actionem lædunt. Ob id morbi rectißime, vt sunt, dicuntur.

Secundam etiam conãtur euadere, quòd licet morbus sit paßio viuentis; & humores, nec lapis vitiat: tamen non licet propterea inferre eos non esse morbos: quoniam tantundem est, acsiquis intelligat. Morbus est constitutio præter naturam corporis, & non qualitatũ. Igitur qualitas, verbi gratia, immodicus ca lor non est morbus. non valet: quoniã licet qualitas non ægrotet; quia tamen vitiat actionẽ, ob id est morbus.

Sed

Sed valdè perplexi sunt in his euasionibus, vt vi prædictarum rationum cogantur contradictoria concedere, nimirum humorem impactum esse morbum, & non esse; esse quidem quoniam aliquam actionem corporis lædit: non esse autem quòd non sit corporis constitutio quædam præter naturam, neq; affectio viuentis corporis; siquidem humores non viuant, nec animati sint: quamuis non vereantur turpiter concedere eos humores impactos, & lapidem vesicæ, & reliqua id genus esse affectum & constitutionem ex Galeni sententia.

Quòd si tamen aduertissent humorem impactum, atq; qualitatem excedētem, & alia id genus formas esse constitutionis præter naturam corporis, & in causa quòd hæc constitutio lædat actiones corporis, non vsq; adeo illis rationibus inuoluti fuissent, vt non facile ab eis exolui potuissent. Neq; etiā reprehēdissent alios asserentes lapidem vesicæ & renum, & intestinorum lumbricos & ascarides non morbos; sed morborum causas esse. Nec huic Galenum refragari; siquidem Galenus per ea intellexerit morbos, hoc est constitutiones præter naturam iā factas ex præsentia

In li. de mor. dif. ca. 8. & 14. de morb. cur. cap. 18.

eorum,

eorum, quæ rationem formæ ſubeunt dictarum conſtitutionum præter naturã, quæ ſi fientes fuerint, tunc quæ dicta ſunt obtinebunt rationem cauſæ efficientis coniunctæ. Ideoq; ſi lapis in veſica contentus iam atterat et deſquamat, erit vtiq; cauſa continens ſolutionis vnitatis quæ eſt in fieri, non eius quæ facta eſt: ille nihilominus conſtituens morbum in numero, vel etiam in meatu, erit forma conſtitutionis præter naturam; ſiquidem contingat morbum ex morbo naſci, et vnum morbum alterius reſpectu efficientis cauſæ rationem ſubire. Quapropter lapis in veſica cõtentus eius cõtractionẽ impediens morbum in numero conſtituit delapſus in eius ceruicem ex vrina excretionem oblædens morbum in meatu efficit. Iſdem veſicam deſquamans non morbum ſed cauſa morbi exiſtit, nimirum ſolutionis continui quæ eſt in generatione, & dum morbum in numero, aut in meatu cõſtituit, forma exiſtit conſtitutionis præter naturam ipſius veſicæ eiuſdem operationis impedientis, veluti pluries dictum fuit.

Morbum ſolummodo in genere qualitatis reponi.

Sed multo minus tertiam rationem euadunt, dũ concedunt morbum non ſemper reponi in genere qualitatis;

litatis; sed interdum in genere substantiæ. Hac quidē ratione moti, quòd quicquid naturalem corporis temperaturam, & structuram immutare, ac destruere potest, est affectus præter naturam positus à Galeno in ratione morbi; siquidem Aristoteles aliter quàm Galenus acceperit nomen affectus, nimirum pro qualitate quæ facile à subiecto amoliri potest: Galenus verò pro eo quod post absolutam alterationem, transmutationemq; permanet in corpore, turbans eius constitutionem.

In li. de mor. diff. cap. 8. & 14. de morb. cur. cap. 18.

Sed substantia & qualitas possunt naturalem corporis temperaturam, & structuram immutare, ac destruere; veluti immodicus calor, qui qualitas est, naturalem temperaturam euertit, & lapis vesicæ structuram turbat, & suffusio hoc est humor glaciei modo inter corneam & cristallinum cōcretus, & Pterygion oculi etiam struSturam immutant, quæ certe nemo tam stupidus est, qui ea qualitates esse dixerit. Igitur qualitas, & substantia immutantes naturalem temperaturam, & structuram corporis erunt affectus præter naturam, et ob id erunt morbi. Quapropter morbus, cū sit is affectus præter naturā,

erit interdum qualitas, & interdum ſubſtantia.

Sed non aduertunt ipſos cadere in Scyllam, dum volũt euitare Charibdim, veluti dicitur in prouerbio vt enim ſaluent humorem in meatu impactum, & lapidem veſicæ, ſuffuſionem, atq; pterygion in oculo, & alia id genus vitia eſſe morbos, non verentur concedere morbum interdum poni in genere ſubſtantiæ, propterea quòd omnia prædicta ſubſtantæ ſunt, quo conceſſo ſequuntur abſurda ad eorum opinionem.

Et primò quòd ſi morbus fuerit ſubſtantia, nihil ei contràriabitur; ſiquidem ſubſtantiæ nihil ſit contrarium. Et ex hoc ſequitur perperam dixiſſe Ariſtotelem & Galenum ſanitatẽ & morbũ eſſe cõtraria.

Cap. de oppoſitis.
1. de mor. cur. cap. 7.

Secundò quòd ſanitas, quæ morbo contraria eſt, reponeretur etiam in genere ſubſtantiæ; quoniam, authore Galeno, nulla maior dementia eſt, quàm ponere ſanitatem in vno genere, & in altero morbum.

1. de mor. cur. cap. 7.

Tertiò quòd terminus ad quẽ ipſius motus eſſet ſubſtantia, & non accidens, contra omnium philoſophorum ſententiam, volentium per ſolam generationem acquiri formam ſubſtantialem; per motum verò accidentalem.

Non

Non aduertunt etiam, quòd dum concedunt immodicum calorem esse verum morbum, quòd cadūt in hoc absurdum, quòd ad primam speciem qualitatis esset per se alteratio contra determinationem Aristotelis. Deducitur tamen illatio: quoniam ad excedentem caliditatem est per se alteratio; & excedens caliditas est per se morbus, vt placet illis. Quare ad morbum erit per se alteratio, quod falsum & absurdum; siquidem morbus sit dispositio, ad quam per se non est alteratio. 7.physi.t.15.

Non aduertunt etiam in ratione adducta se confundere morbi causam cum morbo: quoniā quicquid turbat structuram, & naturalem temperaturam corporis, non potest esse structuramet, nec temperatura corporis; siquidem causa sit semper diuersa à causato; sed humor impactus, lapis in vesica, immodicus calor, & alia id genus turbant, vt inquiūt illi, & destruunt temperaturam, & constitutionem corporis. Quapropter non poterunt esse constitutiomet corporis. Non itaq; morbi erunt; siquidem morbus sit constitutio præter naturam corporis, sed erunt morborum causæ.

Amplius si Galenus ita accepisset nomē affectus, vt illi dicunt, certe non morbi, sed causæ morbi diffinitionem aßignasset. Quod erit euidens, si loco affectus præter naturam posuerimus eius definitionem, quam illi aßignant; nempè quòd affectus præter naturam est omne id, quod natiuam partium temperaturam, ac structuram turbat, & demolitur, tunc erit integra definitio talis. Morbus est omne id quod naturalem corporis temperaturam, & structuram demolitur. Sed quis nescit istud esse proprium munus causæ, & non morbi? quoniam causa demolitur quidem naturalem structuram corporis, & eam efficit præter naturam; sed non morbus: quoniam hic est ipsamet constitutio corporis iam turbata, demolita, & præter naturam facta. Quapropter multo satius est reponere morbum duntaxat in genere qualitatis, quàm in varijs generibus, & asserere dispositionem, affectum, & constitutionem eandem rem significare tam apud Aristotelem, quàm apud Galenum, nimirum qualitatem permanentem in corpore cōmunem ad eam, quæ facile potest amoueri à corpore, & ad eam, quæ cum difficultate amouibilis sit; siquidem

dispositionis

dispositionis nomen, ex Aristot. sententia, ad ambas dictas qualitates commune sit, ad habitum silicet, et dispositionem propriè dictam, quæ qualitas permanens in corpore resultat ex partibus simul rectè commixtis, ordinatis, atq; dispositis, cum ea fuerit secundum naturam; veluti ex eisdem male cõmixtis & constitutis, si eadem fuerit præter naturam. Veruntamen quoniam ea, quæ constitutionem, siue eam qualitatem præter naturam efficiunt, varia sunt, in varijsq; ponuntur generibus, nimirum in genere substantiæ, quantitatis, & qualitatis, vel situs. ob id etiam morbus ex accidenti poterit in varijs poni generibus: quoniam si humor & lapis reddunt constitutionem præter naturam, reponetur in genere substantiæ: quoniam humor & lapis sunt substantiæ, & si magnitudo aucta, vel imminuta, aut numerus partium, vel situs earum vitient constitutionem, reponetur in genere quantitatis & situs, prout id quod perturbat in hoc, vel illo reponitur genere. Quemadmodum in genere qualitatis, si qualitas fuerit demoliens naturalem temperaturam corporis: nunquam tamen perse & secundum propriam essentiam sub

Dispositionis nomen idem significare apud Arist. & Gal.

alio

alia genere constituetur morbus, quàm sub genere qualitatis.

Sed contra obijcerent Aduersarij: quoniam sic semper morbus deberet tolli cum alterantibus; siquidem sit qualitas, & qualitas per ea quæ alterant remoueatur.

Cõstitutio corporis quãuis sit qualitas nõ tamen semp cũ his quę alterant mutari potest.

lib.7.phy. t.15

Nisi esset quòd non omnes qualitates per ea quæ alterant tolli possunt: quoniam quædam reperitur qualitas, quæ ex mistione qualitatum primarum trahit originem, qualis est constitutio partium similariũ, quæ vbi fuerit præter naturam, poterit per contraria alterantia curari; sed non primò: quoniam demonstratum est ab Aristotele, quòd qualitates de prima specie qualitatis non per se alterantur; sed intercedente alteratione facta in qualitatibus primis sensibilibus; veluti densato, aut rarefacto, vel calefacto, aut frigefacto corpore tolluntur. Alia est qualitas reperta in corpore, quæ est constitutio partium instrumentariarum comprehensa etiam sub prima differentia qualitatis, quæ ex certa quadam conformatione, magnitudine, numero, & positione partium similarium resultat, quæ vbi fuerit reddita præter naturã,

poterit

poterit interdum per ea quæ alterant in naturalem statum reduci, non tamen primò; sed facta prius alteratione in qualitatibus primis. Veluti si præ nimia humiditate laxa fuerint & emollita ligamenta alicuius partis instrumentariæ, vel præ siccitate nimiū tensa, vt hac de causa vitiata sit constitutio illius partis, vtiq; per contraria alterantia sanabitur ea cōstitutio. Quemadmodum etiam si conformatio fuerit læsa ptopter humorem crassum, vel viscidum in aliquo meatu impactum, cuius gratia constitutio partis turbata sit. Ex accidente etiam curabitur cum alterantibus; siquidem nōnisi virtute primarum qualitatum quod crassum est attenuari, & viscidum detergi poßit. sed interdum nullo modo per alterantia tollitur; quod quidem euenit, quando propter vitium in magnitudine, vel numero, aut situ partium fuerit impedita constitutio partis instrumētariæ: quoniā tunc per operationem manu factam restituitur constitutio deperdita, Quòd si cum medicamentis restitueretur; vtiq; alteratio per primas qualitates facta etiam concureret ad talem restitutionem faciendam.

Et ex his apparet, quòd licèt morbus sit qualitas, non

Morbus quāuis sit quali-

tas nõ semper tamen cum alterantibus curari potest.

non tamen necessarium est quòd per alterantia semper tollatur, quemadmodum credunt illi viri, dum conantur tueri obstructionem esse humorem impactum, & non esse qualitatem.

Obstructionẽ nõ esse humorem impactũ sed qualitatẽ.

Ad quod etiam astruendum adducunt hanc alteram rationem, quæ est, quòd obstructio impedit distributionem; at qualitas non impedit distributionem. Quapropter obstructio non erit qualitas. Quæ soluitur negando quòd qualitas non impediat distributionem: quoniam quamuis nulla qualitas prima sit quæ impediat; de qua fortè intelligunt illi, nihilominus qualitas præter naturam, quæ est constitutio meatus facta præter naturam per præsentiam humoris impacti, est ea quæ distributionem impedit: quoniam ad quem modum constitutio secundum naturã meatus ponitur distributionis causa, sic etiam eadem præter naturam erit causa impeditæ distributionis. & ideo humor ille impactus non impediet distributionem; sed erit constitutio meatus præter naturam ex præsentia illius humoris facta, veluti per præsentiam formæ res existit, & obtinet propriam essentiã.

Sed non parũ etiã iudicio meo, distant à veritate

in eo

in eo quod ipsi producunt contra quendam innominatum authorem, & contra Mõtisianum, asserrẽtes, ex Aristotelis sententia, morbum in genere qualitatis reponi. At isti inquiunt non in genere qualitatis; sed eorum quæ ad aliquid referuntur, reponendum esse, veluti etiã sanitas. Quod esse ex Galeni sententia conantur monstrare. Quoniam, inquiunt, affectus ad actionem refertur; siquidem dicat Galenus affectum vna cum actione consistere, nec posse vnquam aut probam actionem esse sine corporis naturali affectu, aut vitiosam, nisi vbi corpus præter naturam affectum & læsum sit. Quapropter, vt relata sint, & inter se conferantur, siue alterum ad alterum referatur, quemadmodum pater ad filium, est necesse. Vt enim pater & filius mutuo referuntur sic præcise affectus & actio; sed morbus & sanitas sunt affectus. ob id erunt ex genere eorum quæ sunt ad aliquid. lib.1.de met. cur.cap.8

Quod etiam testimonio Aristotelis confirmare contendũt, definientis relata esse quæcũque hoc ipsum quod sunt aliorum esse oportet; siquidem, posito relatorum, alterum quoq; sit: & vicissim, vno sublato,

nec illud cum quo cõferebatur esse poßit, & ob id colligunt quòd morbus, & vitiosa actio vicißim referuntur, & vitiosa actio est terminus ad quem relationis, veluti mor bositas relatio existit.

Sanitatem & morbum non posse in genere eorum quæ sũt ad aliquid reponi.

Sed falsa est ista opinio. & primò quidem ex communi omnium sententia: quoniam ea dicuntur poni per se in aliquo vno genere, quæ primò illud significant, & in quo eorum essentia saluatur; at sanitas & morbus ex prima eorum significatione qualitatẽ significant; siquidem qualitas definiatur quòd ea sit, secundum quam quales esse dicimur, & sanitas atq; morbus eam qualitatem primò significent, à qua denominamur sani, aut morbosi, siue ab ægritudine ægri. ob id sanitas & morbus per se in genere qualitatis reponentur. Non enim relationem per se significare possunt: quòniam per se horum esse non est ad aliud referri; non enim sanitas per se ad aliud refertur, sed primò rem absolutam significat, veluti etiã morbus, quemadmodum ipsimet concedunt, dum examinant dicta Ioannis Philippi ingraßiæ; concedunt scilicet morbum habere esse absolutum. nõ itaq; respectiuum habebit. Quapropter neq; in genere relationis

lationis collocabitur primò.

Tum etiam quoniã nulla ſubſtantia per ſe ponitur in eorum genere, quæ ad aliud referuntur, ex Ariſtotelis ſententia primam relatorum definitionem corrigentis; ſed morbus, etſi non omnis, ſaltem aliquis ſecundum iſtos eſt ſubſtantia. Igitur per ſe non poterit reponi in genere relatorũ. Siquidem ea duntaxat per ſe in eo genere ponantur, quorum eſſe eſt, vt ad aliud referatur; ſed eſſe ipſius ſubſtantiæ non eſt tale: nam eſſe lapidis non eſt ad aliud referri, neq; humoris alicui cauo affixi, nec alterius id genus. Ex accidente tamen ſanitas & morbus poterunt in genere relatorũ collocari, ea quidem ratione qua affectus ſunt, vel diſpoſitio, quæ ex accidente ponitur in eodem genere relationis; quoniam ea omnia dicuntur per accidens poni in eo genere, quæ ex prima eorum ſignificatione abſolutum important, & non reſpectum: qualia ſunt ea relata quæ ſecundum dici nominantur: ea vero quæ ſecundum eſſe relata dicuntur, per ſe in eo genere collocantur: quoniam prima horum ſignificatio eſt comparata ad aliud; illorum autem non, veluti dominus & ſeruus, pater filius, duplum dimidium,

Affectus vel diſpoſitio per accidens ponũtur in genere eorum quę ad aliquid.

& alia id genus ad aliud per se referuntur: quia non intelligitur dominus per se, nisi quia habet seruum, nec seruus nisi quia habet dominum, nec pater sine filio, nec filius sine patre. Sed scientia, virtus, sanitas, ægritudo, & alia id genus, quia ex principali significato qualitatem significant, & non relationem: quoniam absolutum significatum semper est prius respectiuo in his, quæ per dici relata existunt, ob id per se locabuntur in genere qualitatis, & non relationis. Veluti etiam caput, manus, lapis, humor, & omnes sustantiæ: quoniam significant primò rem absolutam, quæ est substantia, quapropter per se in genere substantiæ erunt reposita, & secundum accidens in genere ad aliquid.

Affectus quomodo ad actionem referatur.

Ad ea verò quæ obijciunt, respondeo quòd dato eis quòd affectus ad actionem referatur; negatur tamen quòd ex primaria ratione ad eã referatur: quoniam id dũtaxat veritatem habet, vbi affectus subit rationem causæ agentis: quoniam causa agens simul existit cum sua actione, & quia affectus est causa agens, ob id dixit Galenus eum cum actione vnà consistere. Ex prima autem sua ratione qualitatem

significat,

significat, qua corpus denominatur affectum, siue dispositum, aut constitutum. Neq; simile est de patre & filio, & affectu & actione: quoniam pater & filius sunt per se relata; affectus autem & actio secundum accidens.

Definitio etiam relatorum ex Aristotele producta veritatem habet solummodo in relatis secundũ essentiam, non secundum nomen, siue (vt inquiunt) secundum dici: quoniam eorum, posito vno, per se ponitur alterum, & remoto remouetur; vt liquet de patre & filio, sed non istorum; siquidem, posito affectu, non per se ponitur actio, nec ablato, aufertur, sed secundum accidens: eo quòd ad positionem, vel sublationem affectus ponitur, vel vfertur causa agẽs. Cum itaq; affectus non per se ponatur in genere relatorum, quare neq; morbus neq; sanitas in eodem poterunt per se primò reponi, & ob id etiam non sequitur quòd morbus per se referatur ad vitiosam actionem tanquam ad terminum ad quem relationis, veluti ex iam dictis euidenter apparet. Præter quod, ex Galeni sententia, vitiosa actio est terminus ad quem motus præter naturam. Igitur non poterit esse in lib de inæqual. intemperie cap. 5.

terminus

terminus ad quem relationis; siquidem relatio non sit lib. 5. phisico. *motus, veluti Aristoteles declaratum reliquit.*

Sequitur etiam eosdem non rectè sentire, quando contra nonullos volunt euadere, quòd si morbus est substantia, quòd etiam sanitas deberet esse substantia, quòd contraria in eodem genere debeant poni. Inquiunt concedendo morbum & sanitatem esse contraria, ideòq; hoc nomine idem vtriusq; esse genus, nempe affectum, & non substantiam. Et quia affectus in genere relationis ponitur, quare sanitas & morbus in eodem genere collocabuntur. Quoniã non aduertũt (pace eorum dixerim) rationem nõ euadere; siquidem velint lapidem in vesica, humorem cauo infixum, pterygion in oculo, & alia id genus esse per se substantias, quæ cum ab eisdem per se affectus, ideoq; morbi esse statuantur, non ab re sequitur affectum præter naturam, morbumq; esse per se substantiam, et propterea etiam sanitatem per se in substantia reponi.

Præterea qua ratione affectus ponitur in genere relationis, eadem sanitas atq; morbus; sed ille ex accidente, & nõ primaria, sed secundaria ratione, vt

rationem

rationem efficientis causæ subit, veluti prætactum est, ob eandem etiam rationem sanitas & morbus in eo genere locabuntur. Non itaq; affectus, ideoq; relatio, vt illi inquiunt, poterit esse verum genus sanitatis & morbi.

Apparet etiam ex dictis quàm hallucinetur Ioãnes Argenterius vir sane doctus, sed in Galenum nimium mordicus, cum asserit excedentem caliditatẽ, & alia id genus iam dicta esse remotã causam morbi, proximam verò esse vitiatam, & iniustam componentium proportionem; siquidem, hac posita, vt ille inquit, ponatur statim morbus, et remota, remoueatur morbus & constitutio præter naturam; posita autem caliditate, non statim ponitur morbus, nec remota, remouetur; sed ponitur primò vitiata proportio, & , hac posita, ponitur vitiata constitutio corporis, quæ est morbusmet. Nam primò, vt inquit, cibus calidior est causa excedentis caloris in corpore, & caloris excessus est causa vitiatæ proportionis, & vitiata proportio est causa vitiatæ compositionis, quæ est morbus. Et sic caliditas duplici, vt inquit ille, interuallo distat à morbo, & eodem modo reliqua dicta.

Quæ Ioannes Argentereus. lib. 1. de causis morb. cap. 9.

Sed

Vitiatam pro- proportionem esse cõstitutionẽ met corpis præter naturã & nõ causam illius.
in lib. de mor. diff. cap. 2.

Sed, meo quidem iudicio, aberrat, cum existimat vitiatam proportionem componentium esse causam constitutionis præter naturam, sicq; aliam ab ea. Quod falsum omnino existit: quoniam si (vt inquit Galenus) morbus est ametria, hoc est incommoderatio, & omnis incommoderatio sit vitiata, & præter naturam facta proportio componentium; siquidem omne immoderatum sit præter naturam, vt Galenus ibidem inquit. Vtiq; sequitur morbum eße vitiatam proportionem componentium. Non itaq; vitiata proportio erit alia à cõstitutione præter naturã.

Quemadmodum etiam aberrat, cum velit quòd exuberans caliditas, & alia prius enarrata non sint proxima forma constitutionis præter naturam: quũ tamen illis positis ponatur statim constitutio præter naturam, & remotis remoueatur, veluti euidentissimè appatet. Igitur erunt proxima forma illius.

Tenetur non dari causã cõtinentem vt prima opinio afferebat.

Relicto itaq; eo medio dicendi modo Ioãnis phylippi Ingraßie, & Iulij Delphini, alterum duorum extremorum approbemus necesse est, eum nempè qui constanter negat causam contentiuam in morbis aßignandã esse, accipiendo nomen morbi in significatione

iam

iam dicta, vt videlicet affectum permanentem significat, propter nimirum auctoritates, & rationes adductas; quem modum, vt probabiliorem & veriorem ad mentem Galeni defendendo, ad ea, quæ alter extremus modus in oppositum adduxit, respondendo dicamus.

Primò adducebatur sententia Auicennæ, quam licet possem euadere, vt communiter omnes euadunt eam negando, vt quòd Auicenna ex professo fuerit alterius opinionis. Nihilominus placet mihi aliter satisfacere, & Auicennam virum sanè suo tempore in omni bonarum artium genere peritißimum in bonum sensum trahere, & non eius auctoritatem nihili facere, vt pleriq; hac nostra ætate facere solent. Dico igitur quòd morbi nomen apud Auicēnam est maioris ambitus, quàm sit apud Galenum; siquidem Auicenna sub morbo comprehendat non modò affectum permanentem; sed etiam affectum, qui est in fieri qui sane vt est in fieri & motu pathos est: cuius fidem facit quòd de pathemate sermonem nō habuit sed Galenus solummodo affectum permanentē intellexit nomine morbi; & quoniam, vt dictum fuit,

Auic. qua ratione cōcedat dari causam coniunctam.

Auic. latius accipere nomen morbi quam Gal.

affectuum qui sunt in fieri aßignatur causa efficiens coniuncta; factorum verò & permanentium non, ob id Auicēna aßignauit causam coniunctam in morbis; Galenus verò eam abnegauit.

Putredo qua ratione dicatur causa coniuncta febris

Et hoc modo intellexit putredinem esse causam coniunctam febris, quæ scilicet est in fieri & motu; sed non febris iam factæ & genitæ, sed huius respectu putredo dicitur quædam causa antecedens ex Galeni sententia, qui tradens methodum curatiuam febriū ex putredine genitarum docuit prius inhibendam esse putredinem, quòd ea inhibita tollitur febris quæ erat in generatione, sed non quæ est genita, nisi ex accidenti vbi scilicet parua fuerit, et læuiter corpori inhæserit, vt eiusdem sententia est: sed vbi fixa sit & in corpore permanens, præcepit Galenus quòd abscissa causa ad eam deuenire oportet.

lib. xi. de morbis. cur. cap. 9. in fine. eodē lib. cap. 4. & 10.

lib. 8. de mor. cur. cap. 2. in fine. in lib. art. medic. cap. 89. Fen. 4. 1. cap. 2 circa principium. & 1. 4. 4. t. 2. cap. 7.

Quod sanè Auicenna etiam non ignorauit loquens de medicationibus ægritudinum malitiæ complexionis, & de curatione febrium putridarum in generali. Quandiu igitur humor aliquis, veluti, sermonis gratia, biliosus putrescit, tandiu etiam febris succēditur, & in generatione persistit: quo euacuato

vel

vel per vomitum, vel per alui deiectionem, vel per sudorem, febris etiam quæ erat in generatione deficit. Quòd si aliquod eius sit factum: quoniam hoc imbecille est, & leuiter corpori hæret, à natura per ablationem causæ roborata facile superatur citra auxiliũ artis; sin minus tunc ad alterantia confugere oportebit, & per refrigerantia quòd factum est remouere, nec non & prauam loci in corpore dispositionem demere: in quo putredinis reliquiæ solent permanere, ne alterius accessionis febrilis occasio præbeatur, veluti Galenus annotauit in hunc modũ scribens. Remanet tamen quædam dispositio præter naturam in corpore: à qua secundum circuitum & aliæ febres, & ægritudines generantur. lib. 4. aphor. co.aph.63.

Sunt tamen qui dicunt Auicennam per putredinẽ intelligere non humorem putridum; sed putridam fuliginem: quoniam hac posita ponitur febris putrida, & remota remouetur, quod de humore putrido dicendum non est, sicut voluit Gentilis, & quidam alij eum immitantes. supra 4.1.t.2. cap.7.

Sed credo ego putridam illam fuliginem non esse causam febris; sed febrem met putridam ex Galeni Pctridam fuliginem per totũ corpus dispersã esse febremmet putridam. lib. 1. de diff. feb.cap.5.

sententia, qui aßignans rationem cur ex putredine humorum in tumore inguinum suboritur febris ephemera; ex putredine verò humorũ in visceribus, vel magnis venis contentorum non ephemera, sed putrida succenditur, inquit, quòd causa diuersitatis est: quoniam in illa febre inguinũ putrida fuligo non peruenit ad cor; sed manet in loco inguinis circunscripta sola alteratione per continuum facta vsq; ad cor. In altera verò quidam veluti fumus ex putrescentibus humoribus ad ventriculos cordis tendit, atq; inde per vniuersum corpus demissus febris appellatur putrida, sicut ephemera si sola caliditas præter naturam citra putredinem per totum diffundatur corpus. Erit itaq; illa putrida fuligo non causa febris, sed febrismet; nisi dixerimus esse formalẽ, et non efficientẽ causam.

Febrem remanentem post remotionẽ putredinis esse putridam

Et ex eadem Galeni sententia euidens est, quàm ab ea deuient, qui asserunt febrem remanentem post remotionem putredinis non esse putridam; sed vel ephemeram, vel quandam malam temperaturam calidam. Quoniam si putrida fuligo à corde in vniuersum corpus demissa permanere potest, remota putredine vtiq; febris quæ remanebit, non poterit non

esse

esse putrida; siquidem, ex Galeni sententia, ortum attestetur suæ origini, & decisum seruet naturam subiectæ substantiæ, à qua deciditur. in lib. ar. med. cap. xi. in fine Et. 1. sec. apho. in enaratione aphor. 14.

Rectius itaq; dicendum est, Auicennam per putredinem intellexisse humorem putridum, cum non potuerit intelligere putrediñe in abstracto, nec putridam fuliginem, cum hæc sit febris met putrida: quã putridinem dixit Auicenna esse coniunctam causam febris, eius scilicet quæ est in fieri. Cuius ratio est, quoniam voluit causam coniunctam esse causam corporalem, ex qua prouenit dispositio corporalis aduẽtu primò, hoc est absq; medio. Itaq; nihil intercidit inter ipsam causam, & affectum; sed putredo est huiusmodi causa corporalis, ex qua aduentu primo, hoc est immediatè prouenit febris putrida. Quapropter erit causa coniuncta & immediata ipsius. Voluit nimirũ causam coniunctam esse quæ actu efficit: quam nimirum Galenus Antecedentem appellat, vt supra monitum fuit; & quia putridus humor actu febrem facit, ob id erit causa coniuncta febris quæ fit. Differrentia Gal. & Auice. de causa coniuncta in nomine cõsistit.

Et si bene Galeni, atq; Auicennæ dicta rimentur nulla inter eos apparebit differentia, nisi in nomine:

quoniam

quoniam conueniunt ambo, quòd morbus factus & corpori affixus non habeat causam à qua dependeat, & de hoc non est dubium apud Galenum. Sed quòd
4.1.cap.2. 1.4.t.2.cap.7. *Auicēna idem voluerit, apparet ex prius dictis, vbi præcipit quòd facta euacuatione, & remota causa, ad complexionem inductam & ægritudinem factā esse postea accedendum: cui medicationem propriè conuenire dixit, sicut complexioni pendenti à causa medicationem cum præmissione seruationis, vt ibidē apparet. Morbus verò qui est in fieri & motu necessario habet causam, vt ambo fatentur, & innuit Auicenna in exemplo, cum inquit. & humor qui ad foramen descendit oppilationis. In quo exemplo apparet Auicennam velle humorem esse causam coniunctam oppilationis, quæ est in fieri: quam, vt in motu est, communi nomine morbum appellat, in hoc discrepans à Galeno, qui affectum qui est in motu pathos esse affirmat. Sic etiam in nomine causæ differūt quòd quam antecedentem Galenus nominat, Auicenna dicit esse coniunctam. Conueniunt tamen etiam in hoc, quòd morbus iam genitus non habeat causam continentem; sed ipsemet sit causa continens vitiosarum*

tiosarum

tiosarum actionum. Quod quidem volult Auicēna, cum subdens exemplificando de causa coniuncta inquit. Et oppilatio cæcitatis. In quo quidem exemplo vult oppilationem, quæ est morbus, esse causam coniunctam cæcitatis, quæ est visio læsa.

Et ex his, quæ hactenus dicta sunt, apparet quòd Auicenna non est adeo damnandus, vt multi hodierno die censent; quinimmo nullam meretur reprehensionem, cum neq; Galeno, neq; alicui alteri fuerit adictus: sed liberum sermonem seruauerit, veluti in probemio libri primi suæ sufficientiæ dixit; & vt voluit, & sibi rationabiliter placuit rem enūciare, semper enunciauerit; & cum alterius dicta recitare voluerit, Auctorem citauerit. Quapropter qui opinionem Auicennæ hoc modo intellectam approbare voluerit, non à veritate longe aberrabit, nec morborum curationem peruertet.

Eodem modo dicendum est Ioannitium cōcedere causam coniunctam in morbis qui sunt in fieri & in motu: quoniam sic necessariò pendent à causa alterante & mouente corpus; cum nullus poßit aßignari motus sine motore à quo pendet. Sed vbi iam factus

sit

sit, et in corpore permaneat, non est opus aliqua causa efficiente & mouente: quoniam habitu acquisito cessat omnis motus & actio motoris, sicq; nulla est aßignanda causa efficiens coniũcta ipsius morbi iam facti; sed bene fientis.

Et hac eadem via possunt saluari dicta aliorum Auctorum, & Galenimet in locis supra citatis: quoniam omnes auctoritates concedunt dari causam efficientem coniunctam ipsius actionis, vel alterationis & motus qui fit in corpore, & affectum qui est in motu ab eadem causa dependere.

Cuius responsionis Auctor est Galenusmet in libello contra Iulianum in hunc modum dicens. Non mehercle quæ ex his quæ absolutè esse dicuntur, sunt causæ coniunctæ; sed quæ in generatione ipsa essentiã habeant. Quod etiam scriptũ reliquit in principio primi de causis pulsuum, cum dixit. Triplex est causarũ genus non in pulsibus modo; sed & in alijs cunctis. Vnum quod primum & præcipuum, quòd quidem continens appellant: cuius inde appellatio deducta est, quòd illorum essentiã contineat; quæ, vt modo diximus, generationis est causa. In quibus verbis apparet

euidenter

euidenter Galenum concedere causam coniunctam in rebus fientibus solummodo, aliter quidem quàm Stoici, & Atheneus Attaleus, et eius sectatores: quoniam Stoici omnium siue natura constarent, siue nõ, vt sunt morbi, continentem causam ponebant qualitercunq; se haberent, vel in generatione & fieri, vel in facto esse. Ita quòd Galenus non omnino negat dari causam continentem, neq; reprehendit eos, qui eam admittebant; sed negat duntaxat eam dari, vt antiqui dicebant, videlicet in fientibus, ac factis: quoniam vult Galenus eam solummodo in fientibus reperiri. Et sic eam non damnat, sed solũmodo modum ponendi reprehendit, vt apparet exemplo citato contra Iulianum, & auctoritatibus in medium adductis. Quibus licet hæc communis responsio satisffaciat, aliqua ex dictis sunt particulatim consideranda. Veluti exemplum adductum ab Auctore definitionum medicarum de lapide in vesica, & vngue in oculo, quod si debet in se veritatem continere, sic debet intelligi, quòd cum lapis poßit esse morbus in meatu, & in numero, si fuerit impactus in meatu ita vt meatus sit omnino obstructus, erit causa non

Stoici in quibuscumq; rebus qualitercumq; dispositis ponebant causam continentem. Gal. solũmodo in fientibus.

Gal. non negans dari causam continentem eam solũmodo admittit in fientibus.

efficiens; sed formalis ipsius obstructionis factæ: siquidem constitutio vesicæ, vel meatus sit facta præter naturam per præsentiam lapidis impacti; cum vero non sit adhuc impactus, sed figatur continuò, & obstructionem faciat, erit vtiq; causa coniuncta efficiens obstructionis, quæ est in fieri: quoniam non est inconueniens vt idem diuersa ratione consideratũ possit esse efficiens, & forma; sed si lapis fuerit in spacio vesicæ contentus, erit morbus in numero, sicut etiam vnguis in oculo: nam lapis impedit quo minus vesica possit in sese contrahi, vt facile vrina possit egredi, & vnguis operiens pupillam impedit visionẽ: vterq; tamen est causa formalis proxima constitutionis præter naturam, & non efficiens: nam posito lapide ponitur affectus in numero, & constitutio præter naturam vesicæ per præsentiam lapidis, sicut etiam per præsẽtiam vnguis ponitur constitutio præter naturam oculi, & remoto remouetur. Causa autem efficiens est quodcũq; generat lapidem, vel vnguem, vt ex Galeno liquet: nam huiuscemodi causa immediatè efficit constitutionem præter naturam in numero; lapis autem factus, & similiter vnguis sunt

Idem diuersa ratione potest esse efficiẽs & forma.

lib. de causis mor. cap. 8.

forma

forma eiusdem constitutionis præter naturam. Et hoc sane pacto intelligere oportet exemplum adductum, si ullam ueritatem in se continere debet, alioquin reijciendum tanquam falsum.

Exemplum etiam adductum ab auctore introductorij Medicinæ de spina, & telo consimili modo intelligendum est: quoniam spina, & telum possunt considerari uel ex parte solutionis unitatis, quam faciunt, quo modo conceditur esse causam efficientem coniunctam solutionis quæ est in fieri, non eius quæ facta est: quoniam illis positis ponitur, & remotis remouetur solutio quæ est in fieri, non tamen quæ est permanens. Vel ea ratione considerãtur quà morbum quempiã in numero constituunt. Qua quidem ratione concedere oportet ea esse causam formalem coniunctam: quoniam affixa corpori augent numerum partium, & forma sunt constitutionis præter naturã; siquidem illis positis ponatur constitutio præter naturam & morbus in numero, & remotis remouetur. Quòd si aliter intelligatur exẽplum absq; dubio erit falsum: quoniam non est uerisimile quòd auctor ille fuerit adeo rudis, ut ignoraret quòd remota spina, &

telo non remouetur solutio facta.

Galenus in libro de sectis non ab re reprehendit Methodicos, qui in curatione morborum despiciebāt causas, & præincipientes quidem quòd hæ, vbi morbum effecerunt, cessant & abeunt; antecedentes autem, & continentes: quoniam abditæ & obscuræ sint, & ob id curationi inutiles. Hos inquā reprehendit Galenus: quoniā medicus priusquā ad morbi curationem accedat, debet diligenter considerare an causa sit in corpore, à qua morbus dependeat, vel ea iam desierit agere, manente morbo, quemadmodū Gale-
cap.4. nusmet nos admonuit quarto de morbis curandis, & passim in reliquis libris de methodo curandi, & in li-
cap.x. bello contra Iulianum: quoniam si subest causa in corpore, ab ea prius exordiendum est; siquidem ea manente morbus fiat repetens; si verò manente affectu causa desierit agere, ad morbum protinus accedendū erit. Quapropter Methodici despicientes causas in curatione morborum plurimum aberrabant, & eo maxime: quoniam existimabant morbum esse actionem læsam, cuius, cum morbus sit causa continens, & hanc despexerint, vtiq; digni sunt reprehensione.

Debebant

Debebāt itaq; Methodici considerare omnes causas & antecedentes, & contentiuas morborum, si morbi has habuerint, & ab eis curandi indicationes petere: quoniā morbi qui sunt in fieri, nō aliter curari possunt, quàm per remotionē causarū, à quibus depēdēt.

Eodem modo saluatur quod dicit Galenus in libello contra Iulianum: quoniam conceditur dari continentem causam in rebus, quæ sunt adhuc in generatione. Quam Galenus ibi definiēs dicit eā esse, à qua aliquid fit: qua cessante agere res etiam cessat fieri. Atquè sic conceditur plenitudinem esse quorundam morborum qui sunt in generatione causam efficientē coniunctam, vt phlegmonis, œdematis, & reliquorum id genus. Quòd si iam facti sint & geniti, plenitudo in parte contenta, & impacta erit causa coniuncta nō efficiens, sed formalis, vt prius dictū fuit.

Pari passu incedit dictum Hypocratis secunda sectione Aphorismorum, & secundo de natura humana, de morbis inquàm qui sunt in genenerati one & motu, & non de his qui sunt iam producti.

Sic etiam intelligitur auctoritas Galeni primo de causis pulsuum, vt euidenter apparet ex Galeno met:

cuiuscunq;

cuiuſcunq; enim actionis, vel alterationis & motus neceſſariò aßignatur cauſa efficiens coniuncta, veluti cauſa pulſatilis motus eſt vitalis facultas in corde, & arterijs contenta. & generationis cuiuſcunq; ſemper eſt propriam aßignare cauſam efficientem. Neq; aliter interpretatus eſt Mattheus Curtius hanc Galeni auctoritatem hìc Bononiæ, dum publicè Medicinam profiteretur, quàm dictum ſit, quicquid antea dixerit in Ticinenſi Gymnaſio referente Marco Antonio Montiſiano Gentinianenſi in Quæſtionibus ſuis medicinalibus.

Quamuis Iulius Delphinus miretur de hoc dicto, quòd ſcilicet in omnibus alijs rebus præter morbos detur cauſa coniuncta: quoniam, inquit, quænã eſt cauſa continens ipſorum animalium? ſanè materia non poteſt eſſe continens; forma autem eſt ipſa rei eſſentia. quare nulla erit.

Sed non aduertit hic vir Galenum velle cauſam continentem dari in omnibus rebus, quæ ſunt in fieri & in motu, & non in eſſe ſtabili & permanente. Quapropter animalium, quæ ſunt in fieri et in motu, dabitur cauſa efficiens coniũcta, quæ eſt cauſa generationis

rationis eorum: factorum autem & permanentium non, ut sæpe fuit dictum.

Neq; aliter, iudicio meo, intelligi debent quæ adducuntur ex primo de causis symptomatum: quoniam Galenus accipit amplitudinem & angustiam, siue magnitudinem & paruitatem pupillæ, ut morbi sunt, qui adhuc in fieri & motu existunt, quorum causa continens non ab re est tensio, uel laxitas tunicæ rhagoidis: tensio quidem continens causa amplitudinis; laxitas autem paruitatis.

Sed contra hoc omnes ferè instant, asserentes magnitudinem & paruitatem pupillæ non esse morbos, sed symptomata: quæ sunt actiones læsæ, ut expresse Brasauola inquit, atq; sic ut symptomata obtinere causam continentem, quæ est morbus, nempe tensionem & laxitatem. Quòdq; ita sit probant.

Et primò inquiunt, quòd Galenus asserit amplitudinem & angustiam non lædere uisionem suapte natura; sed propter morbos quos sequuntur. Vult igitur eos affectus esse symptomata, & non morbos.

Secundò, quoniam ad esse morbi duo potissimum requiruntur; nempè quòd sit affectus præter naturã,

& quòd

& quòd functiones lædat; sed magnitudo & paruitas pupillæ non sunt affectus, scilicet permanens: quoniam continentem causam non haberent, neq; actionem ledũt: quoniam, inquit Galenus, quòd aliquis deterius, aut nihil omnino cernat, id non pupillæ ratione, hoc est propter pupille amplitudinem & paruitatem; sed propter prauos affectus, idest tensionẽ & laxitatem accidit. Et rursus si paruitas pupillæ morbus esset, perpetuò læderet visionem iuxta definitionem morbi; sed constat ex Galeno hanc interdum esse occasionem acutißimi visus. Igitur non morbus erit.

Magnitudinẽ & paruitatem pupillę nõ esse symptomata, sed morb.

Sed meo quidem iudicio euidenter aberrant: quoniam si magnitudo & paruitas pupillæ essent symptomata, & ea symptomata quæ sunt actiones læsæ, vt euidenter inquit Brasauola, cuiusnam virtutis queso essent actiones læsæ? vel animalis, vel naturalis. Nõ naturalis, vt liquet. Neq; animalis: quoniam maximè facultatis visiuæ. Sed istius nõ: quoniam sicut foramen pupillæ secundum naturam dispositum non est visio, sic etiam eius immutatio per dilatationem, aut constrictionem ad magnitudinẽ, & paruitatem

non

non erit læsa visio. Quare neque symptoma; siquidem, si contrarium contrario non inest, neq; contrarium contrario inerit per locum dialecticum; sed perfectio visionis non inest pupillæ secundum naturam: quoniam hæc nedum nõ est visio, verum etiam neq; visionem efficit; sed vsum præbet parti principaliter visionem producenti. Quapropter neq; læsa visio inerit pupillæ præter naturam dispositæ.

Tum etiam ex scopo Galeni in eo libro; siquidem eius intentio sit causas eorum symptomatum enarrare, quæ sunt actiones læsæ virtutis animalis, sumens exordium ab ipsa visione: quãm inquit præter alios affectus, quibus impediri potest, lædi etiam vitio foraminis tunicæ rhagoidis, hoc est pupillæ. Quod quadrifariam fieri posse ostẽdit, nempe aucta pupilla, imminuta, diuulsa, atq; disrupta. Quod cum ita sit, constetq; secundum eiusdem sententiam morbos esse causas symptomatum, & visionem læsam esse symptoma, vtiq; constabit etiam eos affectus qui sunt causa visionis læsæ esse morbos; cumq; inter eos connumeret magnitudinem & paruitatem pupillæ præter naturam, ob id vult hos affectus morbos esse, &

lib. 1. de causis symptomatũ.

in lib. de sym pto. diff. cap. 5. 6.

non symptomata; tensionem verò & laxitatem esse eorum causas, vt inquit, continentes.

vbi supra cap. 2.

Tertio idem monstratur: quoniam intendens Galenus reliquos morbos rhagoidis tunicæ percurrere, continuans dicta dicendis in hunc modum scribit. Quoniam verò non solum foraminis, quod in rhagoide est,
" *morbos percurrimus: sed ipsius quoq; rhagoidis, ac te-*
" *nuis humoris nonnullos tractauimus, consequens est*
" *vt reliquos ipsorum morbos explicemus.*

Ex quibus liquet quòd cum egerit de morbis foraminis rhagoidis, & inter eos cõnumerauerit magnitudinem & paruitatem pupillæ, quòd vult omnino hos affectus esse morbos, & non sympomata.

Amplius volunt isti prædictos affectus non esse morbos: quia non primò visionem lædunt, sed interuentu tensionis & laxitatis tunicæ rhagoidis. Quod sane dictum si verum esset, sequeretur contradictoria simul verificari posse: nempè prædictos affectus esse symptomata, & non esse: esse quidẽ, vt illi concedunt; non esse autem: quoniam fatentur hos affectus non lædere visionem nisi intercedente tensione, vel laxitate rhagoidis tunicæ; sed quodcunq; lædit aliquã

functionem

functionem alio affectu mediante non morbus, neq; symptoma, sed causa morbi esse censetur, Auctore Galeno sic scribente. Quum morbus affectus sit præter naturam lædens actionem, fieriq; posšit ut morbum alter præcedat affectus, qui & ipse quidem sit præter naturam; neq; tamen suapte natura, neq; per se, sed interueniente morbo lædat actionem, hunc affectum non morbum, sed causam, quæ morbum præcedit, vocabimus. Sequitur itaq; amplitudinem & angustiam pupillæ symptomata, & non esse; sed potius morborum causas existere, sicq; simul & semel antecedere, & subsequi tensionem & laxitatem. Quod cum absurdum sit, absurdum etiam erit quod dictum est ab istis.

in lib. de sympto. dif. cap. 2.

Neq; conuincunt quæ in suum fauorem adducunt. Primum quidem non: quoniam Galenus voluit solūmodo illud intelligendum esse de angustia, & non de amplitudine pupillæ; siquidem velit paruitatem pupillæ, cum fuerit præter naturam, incōmodare visioni; si verò secundum naturam, non modò non lædere, sed plurimum etiam visionē adiuuare. Amplitudinem verò, quæcunq; fuerit, vel naturalis, vel

praer naturam, per se semper visioni officere. Non igitur suapte natura paruitas pupillæ visionem lædit; sed solũmodo cum fuerit præter naturam dependens ab aliquo affectu præter naturam existẽte in corpore, qui rationẽ causæ obtineat. Cuiusmodi est intemperãtia sicca, vel humida tunicæ rhagoidis: à qua vult Galenus tensionem & laxitatem eiusdem nasci, tanquã effectus & symptomata earum qualitatum: tensionem verò & laxitatem causas esse amplitudinis & paruitatis pupillæ, à quibis immediatè oblæditur visio; siquidem per amplitudinem dißipetur visorius spiritus, ita vt visibile minoris quantitatis appareat: per angustiam vero immodicè cogatur, vt visibilium species in eo impressæ maioris quantitatis esse appareant, quàm sint, perinde ac in aere denso res maioris quantitatis esse videntur, veluti sol circa eius ortum & occasum. & interdum tantum potest adstringi pupilla, vt spiritus sufficienter egredi non poßit, vel nihil omnino; sed tunc potius obstructio dici debet, quàm angustia cæcitatem inducens: quoniam inconueniens non est symptoma alicuius morbi posse subire rationem causæ respectu alterius, veluti

Symptoma vnius morbi posse subire rationem causæ morbificę respectu alterius

dolor,

dolor, qui symptoma est intemperaturæ, vel solutæ vnitatis; & tamen potest alium morbum procreare, nempe tumorem præter naturam, atq; febrem. Neq; etiam inconueniẽs est morbum ex morbo nasci, ideoq; paruitatem pupillæ ex imminutione, vel euacuatione totius humoris albuginei nasci; siquidem imminutio ad morbum in magnitudine: totius autẽ humoris effusio, siue euacuatio ad morbũ in numero reducãtur.

Neq; secundum etiam quod adducunt conuincit: siquidem magnitudo & angustia pupillæ poßint considerari vt sunt affectus iam geniti, vel vt sunt adhuc in generatione. Primo quidem modo causam cõtinentem non habent, sed bene altero modo; nempe tensionem vel laxitatem: quoniam hæc duo efficiunt paruitatem vel magnitudinem pupillæ, quandiu videlicet in temperies sicca vel humida, cuius hæc dicuntur esse symptomata, persistit in generatione: at vbi hæc intemperies facta fuerit, symptomata quoq;, hoc est tensio & laxitas, constabunt & factæ erũt. & ob id etiam paruitas & magnitudo pupillæ erũt in esse permaneti, & nullam causam efficientẽ coniunctam obtinebunt; sed solũmodo formalẽ, tẽsionem

videlicet,

videlicet, & laxitatē subsistentes in tunica rhagoide, tanquam formæ constitutionis præter naturam illius: quæ quandiu permanebunt, tandiu etiam paruitas & magnitudo pupillæ permanebunt, veluti eisdem dificientibus ista quoq; deficient.

Et quod rursus dicunt de angustia pupillæ, constat ex dictis esse falsum: quoniā angustià pupillæ præter naturam semper morbus est, & visionem lædit; non tamen quæ naturalis est.

Sed obijceret quis paruitatem pupillæ esse omnino symptoma, & non morbum ex Galeno met: quoniā

lib. de causis sympt. cap. 2.

quærit Galenus cur imminuta pupilla, idq; nō suapte natura, sed ob morbum, censetur mediocri deterior? " Et respondens inquit. An quia prauos sequitur affe- " ctus, ob quos oculus ita patiens necessariò deterius cer- " nit, non quia exigua sit pupilla. In quibus verbis apparet Galenum velle paruitatem pupillæ præter naturam sequi morbos. Igitur erit symptoma: quoniam quod necessariò sequitur morbum est symptoma.

Sed apparet ex dictis solutio, quòd non inconuenit morbum nasci ex morbo, veluti etiam ex symptomate, & sic non inconuenit quòd paruitas pupillæ

præter

præter naturã sequatur alios affectus præter naturam & cum hoc ipsa sit morbus; siquidem immediatè ipsa pendens ab illis affectibus lædat visionem. Ita quòd Galenus nihil aliud intẽdit, quàm quòd exigua pupilla præter naturam non per se lædit, vt exigua est; siquidem si vt exigua est per se læderet, tunc omnis pupilla exigua læderet: quoniam, vt inquiunt logici, per se infert de omni; sed solũmodo vt est præter naturam; & quoniam est præter naturam ob affectus tunicæ rhagoidis, aut humoris albuginei, ob hos itaq; affectus visionem impediet. Ita vt Galenus non neget, sicut negare non potest, exiguam pupillam præter naturam non lædere visionem: quandoquidem causa sit corruptæ visionis, quòd res nimirũ maioris quantitatis appareant, quam sint; sed negat quòd habet vt lædat ab illis affectibus, quamuis aliqui eorum morbi sint, & lædant etiam visionem; sed alia ratione, quàm paruitas pupillæ præter naturam: quoniam effectus ad humorem spectans lædit quidem, quòd eo deficiente, vel imminuto, humor christalloides citra offensam externum splendorem sustinere non poßit; siquidem spacium, quod medium

erat

erat inter rhagidem tunicam, & christallinum humorem, breuius factum sit, ideoq; dispergitur spiritus, & visio læditur.

Alter verò affectus ad rhagoidē pertinens; nempè tensio, vel laxitas morbus non est, nec per se visionem lędit; sed symptoma est morbi, nempè intemperiei siccæ, vel humidæ rhagoidis tunicæ.

Exigua itaq; pupilla præter naturam lædit visionem, non quia exigua sit; sed quia est præter naturā. Quod de amplitudine dici non potest: quoniam hæc suapte natura semper visionem lędit, vel fuerit natiua, vel ex tempore; ea verò non nisi cum est præter naturam. Et quoniam est præter naturam ob affectus præter naturam, quos sequitur, idcirco etiam propter illos lædet visionem: non ita tamen illis mediantibus lædit, vt illi affectus immediatè lędant; paruitas verò pupillæ remotè, & mediatè: quoniam sic paruitas pupillæ non esset effectus illorum affectuū, veluti sentit Galenus, sed causa quæ intercedentibus illis affectibus læderet visionem, quod est falsum; sed quòd ab illis affectibus, tanquam à causa, obtinet quòd sit præter naturam, & lædat visionem.

Et licet

Et licet etiam magnitudo pupillæ sit morbus, sicut & paruitas; non tamen dicendum est, ut placet Valeriolæ, quòd sit morbus in magnitudine: quoniã morbus in magnitudine est cum substantia partium præter modum crescit propter regenerationem, & appositionem substantiæ quantæ substantiæ præexistẽti: quod in magnitudine pupillæ non euenit; sed est duntaxat dilatatio pupillæ, quæ sanè est morbus in formatione, & in meatu; sicut eiusdem astrictio morbus etiam in meatu existit.

pupillę magnitudo nõ morbus in quantitate sed in formatione.

Neq; etiam rectè sentit cum asserit suffusionem esse continentem causam obstructionis foraminis rhagoidis: quoniam humor qui suffusionem efficit, non est in foramine pupillæ impactus; sed in spacio medio continetur inter tunicam corneam, & foramen rhagoidis; estq; humor, vel pars quæpiã superaddita ipsi oculo: per cuius præsentiam tanquam per essentialẽ formam efficitur constitutio oculi præter naturam, ut potius debeat dici causa morbi in numero, quàm obstructionis, ut rectè fecerit Galenus eam cõnumerans inter morbos in numero, quemadmodum etiam pterygion.

Suffusionẽ nõ esse continentem causam obstructionis pupillę.

lib. de morb. diff. cap. 8.

Decimo autem de morbis curandis posuit continentem causam horroris, atq; rigoris: quoniam hæc symptomata sunt: quorum morbus, vel causa morbi pro continēte causa aßignatur, vt est euidēs ex dictis.

supra tertium de mor. vulg. comētario .1.

Virium imbecillitas qūo dicatur cōtinēs causa ipsius tremoris.

Sicut etiam tremor, cum sit symptoma, obtinet pro causa continente ipsum morbum. Quòd si dicat Galenus esse virium imbecillitatem, locutus fuit secūdum naturam rei, & nō medicè: quoniam ex natura rei facultas est actionis causa. Quare si ea læsa et imbecillis reddita fuerit, vtiq; etiam actio læditur, & poterit in aliquo membro fieri deprauatus motus, qui est tremor. Sed medicè loquendo illud dicimus esse causam vitiatæ functionis, in quod Medicus potest agere & operari, & operando potest vt plurimum ipsum remouere, quod sane morbus est, sicut intemperies respectu tremoris: quæ sanè intemperies secundum veritatem est proxima causa imbecillitatis virium, hæc autem ipsius tremoris. Siquidem Galenus velit, quòd constitutio, facultas, actio & opus talē inter se ordinem seruent, quòd primò est corporis constitutio quæ est causa facultatis: quoniam voluit quòd virium essentia in peculiaribus partium temperantijs

primo de popotētiis naturalibus cap.3. & 4. lib.2.de facul. naturalibus. lib.de plenitudine lib.6. de

consistant;

consistant; hæc autem est causa motus & actionis, actio vero ipsius operis. Tamen ad sensum medici dicimus constitutionem corporis esse proximam causam ipsarum actionum, & sic intemperiem esse causam contentiuam tremoris: quam intemperiem nobis indicat virium imbecillitas, quæ secundum rei naturā est proxima & coniuncta causa tremoris.

Hyp. & plat. decretis lib. 5. de loc. af.

Apparet etiam ex dictis qualiter intelligenda sit auctoritas sexti de morbis vulgaribus, quòd scilicet pro curatione morborum qui adhuc sunt in generatione, oportet etiam considerare causas contentiuas; siquidem istis sublatis inhibetur ne fiat quòd erat in generatione et in fieri. Vel quòd Galenus illud dixit ad pleniorem doctrinam causarum: quoniam exponendo Hypocratem dicētem in curandis morbis occasiones esse considerandas inquit. Ostēsum est alibi de causis, quas anteincipientes vocant, et quas antegressas, & quas contentiuas. Non quòd velit has omnes in morbis considerandas; sed pro vberiori notitia causarū, siquis præter causas primitiuas, et antecedentes velit etiam scire quæ dicantur contentiuæ, poterit legere librum seorsum conscriptū de causis cōtentiuis.

in expōne t.43. *In secundo autem pronosticorum ponit screationem habere causam contentiuam, quæ est obedientia & habilitas materiæ: quoniam screatio motus est & actio, cuius conceditur causa coniuncta, quæ à Galeno ponitur quòd est prima actionis causa.*

2. de mor cur. cap. 4.

Cuiusmodi etiam flatuosus spiritus in pituita viscida contentus eam exagitās & cōmouens est causa spumificationis, quæ est actio. Quòd si spumificatio facta sit, & bullæ iam consistant, flatuosus spiritus ibidem contentus nō erit amplius causa efficiens coniuncta, sed formalis; sicut de causa obstructionis dictum fuit prius.

1. de loc. aff. cap. 2. *Galenus etiam definiens causam, vt prætactum est, tetigit causam proximam & coniūctam rei non permanentis, sed successiuæ. Quod clarissime apparet*
“ *quum dixit eam esse id quo tangente afficimur, &*
“ *quo separato quiescit affectus. Accepit nomē affectus*
“ *non pro re permanente; sed vt motum & passionem significat. Quod apparet in his quæ subscripsit, cum dixit præter alia. Sic etiam affici aliquem dicimus cū*
“ *aliquid extrinsecus incidit, vel calfaciens vt ignis,*
“ *vel refrigerans vt nix, vel contundens vt lapis: quo*

seperato

ſeperato protinus finitus fuerit affectus, nemine propter hoc dicente partem non fuiſſe affectam, quòd in ipſa nulla ſit derelicta diſpoſitio. ‟

Dioſcorides etiam ponens cauſam contentiuam, liquet eam poſuiſſe in paßionibus, & non in affectibus permanentibus.

Quo intellectu etiã intelligitur Auctoritas Hypocratis in Aphoriſmis. Nec non Cornelij celſi, & Ariſtotelis, vt euidentißime apparet: omnes nempè concedunt huiuſcemodi cauſam ex parte actionis & motus, et non aliter. 2. aphor. 22.

Ad rationem verò à dolore deſumptam concedendum eſt conſimiliter: quòd quia dolor ſemper habet ſuam eſſentiam in fieri, vel fuerit ſymptoma, vel rationem morbi ſubierit, Idcirco cauſam efficientem proximam & coniũctam eum habere poſſe. Vt perpetuò illud verißimum ſit, cauſam coniunctam eſſe eorum quæ ſunt in motu. Quòdq; dolor rationẽ morbi ſubire poßit, quod quidam negant, euidenter aſſeruit Galenus, cum dixit. Tumor ſi ad tantam magnitudinem attollatur, vt ob hanc ipſam functio impediatur, morbus cenſeri debet; alioqui vel ſymptoma, ‟ *vel*

Dolorem ſubire rationem morbi.
lib. de mor. d. cap. 12.

Vel pathema, quæmadmodum & dolor. In quibus nempè verbis constat Galenum velle dolorem, si tam vehemens fuerit, vt functionem impediat, censeri morbum, alioqui symptoma esse.

Tum etiam idem ratione comprobatur: quoniam quod primò curationem expostulat est morbus; sed dolor interdum, cum videlicet vehemens fuerit, primò curationem expostulat, istud Galeno approbante, ob id morbus erit.

lib.12.de mor. cur.cap.1.

Neq; obest quod aliqui inquiunt, quòd si dolor nonnunquam curationem primò expostulat & ad se vocet, id non vt morbus, sed potius vt causa facit. Quod voluit Galenus, quia enim deijcit vires ac reso luit, sine quarum constantia morbus curari nequit, ob id ipsum primùm, tanquam causam vires labefac tantē, remouere cogimur. Non obest inquam: quoniã dolor vehemens bifariam considerari potest, vel vt functiones lædit vires labefactando, vel vt vires labefactando & resoluendo immutat, atq; impedit curationem morbi. Primo quidem modo subit rationem morbi; quia functiones impedit, veluti morbus facit: quia tamen non est de numero permanentium,

ob id

ob id non eſt verè morbus. Altero autem modo obtinet rationem cauſæ: quia ſicut manente cauſa morbus curari non poteſt, ſic etiam dolore infeſtante non poteſt morbus tolli. ob id rationem cauſæ ſeruat, vt voluit Galenus. Quia tamen contingit morbũ ex morbo naſci, & vnum eſſe alterius cauſam, proinde non incõuenit etiam dolorem, vt habet rationem cauſæ, quia impedit curationem morbi, ſic etiam habere rationẽ morbi, quia lædat functiones corporis, ſicut morbus à quo naſcitur alter ſeruat rationem cauſæ, & rationem morbi diuerſimode, vt ex dictis patet. Quanuis itaq; tunc dolor rationem cauſæ obtineat: non inficiendum tamen eſt etiam eum rationem morbi ſubire poſſe. & hæc de auctoritatibus, & rationibus pro parte oppoſita adductis dicta ſufficiant.

Reliquũ eſt vt videamus quid dicerent Aduerſarij pro euaſione & reſponſione obiectorum, quæ pro vera Galeni opinione adducta fuerunt.

Ad primam auctoritatem adductam à Leoniceno ex libro de cauſis contentiuis reſpondet Marcus Antonius Montiſianus, falſum eſſe quòd Galenus neget dari cauſam contentiuam in morbis; ſi bene

negat

negat eam dari eo modo, quo Stoici, et recẽtiores medici sui temporis eam dari asserebant, vt apparet ex Galeno in hunc modum scribente. Diximus porro alibi de continentibus causis, vbi ostendimus tam nomen ipsum, quàm rem cui impositum nomen sit, ex Stoica esse secta; neq; rectè recentiores medicos genus hoc totum aut nominasse, aut tractasse; nosq; ne de nominibus contendere videamur secundum sæpius eorum sententiam causæ quædam, ut sic nominemur, concedere. Nam illi eam concedebant in omnibus rebus, vel essent in generatione, vel non, sed consisterent; Galenus autẽ solũ in eis quæ sunt in generatione.

In lib. contra Iulianum.

Sed male certè reprehendit hic vir Doctißimum Leonicenum: quoniã Leonicenus non dicit Galenum absolutè negare et reprehendere causam continẽtem, sed alienum esse à placitis Galeni eam dari in morbis ipsis: quoniam morbi sunt affectus permanentes, & causa continens datur solummodo in rebus quæ fiunt & in generatione essentiam suam habent. Igitur in morbis non dabitur id genus causæ. Nisi quis vellet asserere morbum habentem suam essentiam in fieri & generatione esse morbum secundũ Galenũ. Quod sanè

sanè alienum esse ab eius placitis fuit supra abundè monstratum.

Præceptor in sua quæstione impressa volens satisfacere auctoritatibus, in quibus Galenus solummodo meminit de procatarticis & antecedentibus causis, inquit non ab re Galenum duarum solūmodo causarum meminisse: quoniam sua intentio fuit eas causas propriè nominare, à quibus immediatè potest causari morbus; & quoniam à primitiuis & coniunctis immediatè potest nasci morbus, vt ex se manifestum est, ob id harum duarum solummodo meminit, nēpe primitiuarum & coniunctarum: quas nō coniunctas sed antecedentes appellat, eas comparando actioni læsæ, cuius respectu antecedentes dicuntur: quoniam inter eas & actionem læsam mediat morbus, qui respectu eiusdem actionis læsæ dicitur causa coniūcta & sic exponit Galenum per causas antecedentes intelligere coniunctas: quoniam Galenus loquitur de causis, quæ immediatè agunt morbum; sed causæ antecedentes nondum quicquā agunt. Igitur impropriè causæ dici debent; siquidem causæ hac appellatione dignantur, quia agunt, auctore Galeno. Quapropter lib de cōst.ar. med. cap.15

Galenus per causas antecedentes intelligit coniunctas: quas tamen antecedẽtes appellat respectu actionis læsæ.

Quæ responsio vera est quantum ad id, quòd Galenus fecerit mentionem de illis causis, à quibus morbus immediatè potest generari: quæ sane sunt procatarticæ, atq; antecedentes. Verum est etiam quòd antecedentes causæ sunt coniunctæ, eo quidem modo quo supra declaratum fuit, quod dixit præceptor veritate ductus. Falsum tamen quòd antecedentes dicantur respectu actionis læsæ, ex Galeno in hunc modum scribente. Quum morbus affectus quidam sit

In lib. de diff. symp. cap. 2.

" *præter naturam lædens actionẽ, fieriq; posßit vt mor-*
" *bum ipsum alter præcedat affectus, qui & ipse qui-*
" *dem sit præter naturam; neq; tamen suapte ratione,*
" *neq; per se, sed interueniente morbo lædat actionem,*
" *hunc affectum non morbũ; sed causam quæ morbum*
" *præcedit vocabimus. Quòdsi accurate mentem adhi-*
" *bueris, hunc affectum causam vocare potes, eo quòd*
" *actionem vitiat; verum non per se, neq; primò, sed*
" *vel per accidens, vel secũdario & impediri & lædi*
" *per ipsum dixeris actionem. In quibus verbis apparet*

Galenum

Galenum velle affectum præter naturā præcedentem morbum dici causam antecedentem ex parte morbi: quoniam morbum immediatè antecedit; respectu vero actionis læsæ, si causa antecedens dicatur, non nisi per accidens & secundariò atq; remotè dici posse. Quod etiam voluit Galenus, cum dixit præcedentes morborum causas dici quæ morbos faciunt, vt velit præcedentes dici respectu morborum. Ex quibus etiā verbis euidentissimè constat falsum esse quod inquit præceptor, nempè causas antecedentes non agere secundum Galenum; cum alioquin causæ morborum non essent, nisi agerent.

secundo de natura humana c. t. 1. & circa principiū primi de causis puls.

Sed obijceret quis. Si hæ causæ faciunt morbos; non igitur erunt antecedentes, sed coniunctæ.

Huic dicendum, quemadmodum à principio etiā fuit satisfactum, quòd eædem causæ possunt dici antecedentes & coniunctæ secundum Galenum: quoniam antecedentes dicuntur respectu morborum, qui debent consistere, & habere suum esse absolutum & permanens: coniunctæ verò respectu morborum, qui sunt in fieri, vt inquā sunt in motu et in generatione.

Causę antecedentes & coniunctę qūodo differāt & sint eædem.

Sed causa erroris fuit, quòd credidit præceptor

Causa antecedens secundū Gal. alia à cā antecedente secundū Auic.

quòd causa antecedens propriè dicta apud Galenum esset eadem, quam Auicenna definiuit; quæ scilicet nondum agit morbum, sed potest agere; vel agit quidem, at non primò & immediatè; sed mediatè, & remotè, siue secundariò & per accidens, vt inquit Galenus. & non aduertit, bona eius pace dictum sit, quòd causa antecedens secundum Galeni sententiam est quæ facit morbum, estq; immediata ipsi affectui, & eadem re quod causa coniuncta apud Auicēnam, & causa antecedens descripta ab Auicenna non propriè dignatur nomine causæ apud Galenum: quia nondum agit. Adeo quòd iuxta Galeni dogma causa antecedens & coniuncta non nisi ratione differunt: iuxta vero sententiam Auicennæ nedum ratione, verum etiam re: quemadmodum ex prius dictis, & ex his quæ nouissime dicta sunt est euidens. Galenus tamen potius concessit antecedentem, quàm coniunctam; quanuis sint eædem re: quoniam noluit affectum in fieri esse verum morbum, & ob id noluit etiam eius causam esse causam morbi Quo circa non dixit causam coniunctam, quæ est causa morbi in fieri, esse causam morbi; sed antecedētem magis: quo-

niam

niam hæc antecedit morbum, qui debet in corpore consistere.

Pariter respondet præceptor Auctoritati adductæ ex libro artis medicinalis capite octuagesimo octauo, quòd Galenus per antecedentem causam intelligit eam, quam nos coniunctam appellamus. & addit nunc quòd Galenus hanc causam antecedentem appellat comparando eam ad id, quod futurum est de fiente: quod futurum nondum est, & per consequēs eius causa coniuncta dici non potest, sed antecedens.

In qua responsione multo rectius sentit, quàm in præcedēte: quoniam causa antecedens est eadem cum causa coniuncta; ratione tamen diuersa, vt præceptor innuere videtur: quamuis non expresse dicat. & verùm etiam quòd antecedens dicatur ex parte morbi, qui debet consistere et permanere; coniuncta vero eiusdem vt est in fieri. Sed falsum est quòd hoc modo sit causa ipsius morbi: siquidem velit Galenus morbum esse affectum absolutum & permanētem, cuius nulla potest aßignari causa coniuncta; alioquin non esset permanens. Ideoq; sic concedet eum habere posse causam antecedētem ipsum producentem in esse permanens:

manens: coniunctam autem minime, nisi ut generationis illius. Sed quoniam praeceptor tenet morbum qui est in generatione esse verum morbum, ob id non veretur dicere Galenum per antecedentem causam intelligere coniunctam ipsius morbi. Quod quum sit alienum à mente Galeni, & à veritate, veluti supra fuit abunde disputatum, non est ut diutius in his immoremur.

Sed hîc esto finis propositae dificultatis de causa continente ad laudē illius, qui trinus & unus regnat.

BONONIAE

APVD PEREGRINVM BONARDVM.

M. D. LXI.

CANDIDAE LECTOR.

Errata sic corrigito.

Prior numerus folium significat a. priorem faciem folii b. posteriorem, alter numerus versum vel lineam demonstrat.

4. b. 11. concenditur pro conceditur
5. a. 19. precipit pro recipit
8. b. 3. sequeretur pro sequetur
17. phisicis pro philosophis
6. a. 21. refregari pro refragari
b. 1. in margine in pri. suo lib. pro in 1. suo lib. de causis morb. cap. 3.
5. neqaquam pro nequaquam
20. efficiens autem est pro efficiens autē comune est
8. a. 12. transperatio pro traspiratio
9. a. 9. intercedetibus pro intercedentibus
10. b. 1. penerauit pro penetrauit
11. b. 4. nihilominem pro nihilominus
20. in margine in plerosq; p in plerisq;
12. a. 1. densitans pro densitas
13. a. 21. patines pro patiens
14. a. 20. humorum putredine pro ex humorum putredine
16. b. 10 que sunt potētia ac poterit effici vitiosus vt benignus humor potētia putridus pro que sunt potentiā tales vt benignus humor potentia poterit effici vitiosus ac putridus
17. b. 2. in philosophia pro in philosophiam
12. genetricam pro genericam
18. b. 15. affetus pro affectus
21. a. 3. galenus pro galenum

b. 22. alteratrum pro alterutram
24. b. 17. figuidem pro siquidem
25. a. 1. vt aristoteles ꝑ quoniã vt aristoteles
26. a. 22. affectus pro effectus
27. a. 5. immutant pro immutantur
22. addideret pro addiderit
28. b. 6. supradicta pro supradicta
29. a. 5. functionis pro functiones
30. b. 1. putemus pro putaremus
31. b. 1. multatum pro multarum
32. b. 6. citrum pro crurum
36. a. 22. permanentem esse rem pro esse rem permanentem
37. a. 7. qui non pro quod non
42. b. 15. salubris pro salubres
46. a. 6. simul curatio & preseruatio remotio vero pro simul curatio & preseruatio sed quod hec est solummodo preseruatio remotio vero
b. 21. est permanens, morbus est pro est permanens, & morbus est
47. a. 15. superflue legitur & ex his cum dixit remotionem cause esse partem artis cur atricem id communiter accepit
49. b. 8. is est in fieri pro is qui est in fieri
55. b. 10. preuauent pro precauent
17. preſereatiua pro preseruatiua
57. a. 13. fieri pro fienti
15. supeefluum pro superfluum
19. remotto pro remotio
58. b. 16. nec causa morbi, necessario pro nec causa morbi: sed necessario
22. delendum illud dum fit
60. a. 7. affestus pro affectus

18. adeo pro ideo
64. a. 14. non requireret quòd homo pro non requireret quòd à nulla causarum primitiuarum dependeret, sequeretur quid homo.
65. b. 4. egrotare pro & ægrotare
68. b. 6. preterit pro preterijt
76. b. 22. ille pro illi
77. b. 4. petmanens pro permanens
79. b. 17. accidente pro accidenti
80. a. 54. morborum tempora sunt perse motiones cause morbifice, sunt in margine ponenda
14. hec immargine deficiunt in lib. de optima secta cap. 35. & 37.
b. 6. variante pro variantes
20. acciperetut pro acciperetur
82. a. 8. ex tpore pro tempore
b. 18. sonũmodo pro solũmodo
85. b. 17. dicunt pro dicat
86. a. 3. secudum pro secundum
87. a. 6. in margine lib. 1. de gene. & c. respõsiõe pro lib. 1. de gene. & corrupt.
10. & non illud pro non aliud
22. appropriaretnr pro approprietur
b. 22. preter materiam pro preternaturam
88. a. 11. forme pro forma
89. b. 8. patente pro patiente
91. a. 10. vel eã restaurabit pro vel eã restauret
15. fundatur pro fundantur
93. b. legit in inscriptione libri de morbo fiente pro causa continente vsq; ad fol. 108.
96. b. 3. pouit pro posuit

97. b. 20. dicuntur pro dicunt
98. b. 22. decam pro dicam
100. b. 3. prosterint pro prosternit
6. agnabitur pro dabitur
7. ex modo dincẽdi pro extremo dicẽdi
8. facere pro fauere
9. & pro est
12. qui in naturam ponuntur pro qui in natura comuni ponuntur
21. differentiare pro demonstrare
102. b. 21. assigabitur pro assignabitur
104. a. 21. consistant pro consistat
22. permaneant pro permaneat
105. b. 16. gerere pro genere
106. a. 1. in margine legit. lib. x. de cõpl. pro lib. x. de compos.
107. a. 20. quem pro quam
110. b. 15. preter natura pro preternaturam
111. b. 15. vitiar pro viuant
112. b. 4. iam pro eam
11. sub re pro subire
13. ex vrina pro & vrine
113. b. 8. substante pro substantie rum
117. a. 21. posito relarorũ ꝓ posito vno relato-
119. a. 14. vel vfertur pro vel aufertur
125. a. 16. aliqua ex dictis ꝓ aliqua tamẽ ex dictis
b. 17. per presetiam pro per presentiam
327. b. 10. Gentinianensi pro Geminianensi
130. a. 10. pupille symptomata pro pupille symptomata esse
b. 1. prer naturam pro preter naturam
131. a. 21. permaneti pro permanenti
134. a. 1. consistant pro consistat
136. b. 9. nominemur pro nominentur